





Q. D. B. V.  
DISSESSATIO MEDICO-IVRIDICA  
DE

1726

28

26

PHILTRIS  
RITE  
EXAMINANDIS ET DIUDICANDIS  
von  
**Siebes = Gränden**

QVAM  
PRAESIDE  
**CHRISTIANO GODOFR.  
STENTZELIO**

TORGAVIENSI  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE  
NEC NON FACULTATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA VITTEMBERGENSI  
ASSESSORE

DIE DECEMBRIS XVII. ANNI c<sup>is</sup> I<sup>cc</sup> XXVI.

ERUDITORVM EXPOSIT DISQUISITIONI

**IOANNES FRIDERICVS WOLFFIUS**

VITTEMBERGENSIS  
LIBERAL. ARTIVM MAGISTER  
ET I. V. CANDIDATVS.

VITTEMBERGAE LITERIS VIDVAE GERDESIAE.





*Q. D. B. V.*

DISSERTATIO MEDICO - JVRIDICA

*DE*

**P H I L T R I S**

*RITE*

**EXAMINANDIS ET DIUDICANDIS.**

---

**I.**



Dubius dubia hinc inde agitatus Matrimo-  
mente uarias autorum de con- nium repu-  
iugio, illud tam suadentium diatur.  
quam disuadentium sententi-  
as examinans, cui me associ-  
em parti, difficulter reperio.  
Certe, si plurima, quae matri-  
monium comitantur & sequun-  
tur incomoda, mecum perpendo, non audeo alicui,  
praecipue literato, autor suasorque idem ineundi esse ;

A 2

habet

Testimo-  
niis & rati-  
onibus  
confirmata-

rebus  
habet enim coniugium maxime graues atque innume-  
ras molestias, quae, Sisyphii instar lapidis, mentem cor-  
pasque nulla data mora exagitantes eneruant, & ma-  
ximas literatis in studiorum progressu, ipsoque diuino  
cultu, remoras ponunt. In harum disquisitione nimis  
fane curiosus uidetur tuisse ERYTHRAEVS, qui *Pina-  
coth. II. n. 35. p. 114.* Philosopho nihil minus conuenire,  
asserit, quam connubium. His maxime fauet senten-  
tia AVGVSTINI, lib. 1. *Soliloq. cap. 10.* non erube-  
scents affirmare, ipsum matrimonium, ceu rem uiro  
sapienti incongruam, esse repudiandum. Et quare me  
multum detineo, in recensendis aliorum de hac re te-  
stimoniiis, cum eandem satis perspicue a Paulo in sacro  
traditam codice reperiamus, qui caelibem colens uit-  
tam *Epiſt. ad Corinθ. I. c. 7. u. 7. & 8.* sic nos de uitan-  
do admonet matrimonio : Θέλω γάρ πάντας ὀνθεώ-  
πεις ἔνοι αὐτὸν λέγω δὲ τοῖς ἀγάμοις ἡ ταῖς  
Χίρουσι, καλὸν αὐτοῖς ἐσιν, εὖν μείνωσιν αὐτὸν γάρ. Ele-  
gantem quoque huius rei rationem, allegato dictae epi-  
ſtolae capite uerſ. 32. sequentibus reddit : ὁ ἀγαμος  
μεριμνᾷ τὰ τῷ Κυρίῳ, πῶς ἀρέσει τῷ κυρίῳ ὁ δὲ γα-  
μητος μεριμνᾷ τὰ τὸν κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικὶ.  
Prout uero, e commemoratis Pauli uerbis, Papisticis  
occoecati erroribus demonstrare satagunt, ipsis cleri-  
cis coniugium esse interdictum, sic eosdem longe a  
uero aberrare, quiuis perspiciet, qui totum, quod  
iam allegauimus caput, perlegit; uersu enim nono  
perspicuis demonstrat uerbis, quod illis, qui dono  
continentiae destituuntur, matrimonium competit:  
Coniugi-  
um neces-  
sarium at-  
que utile.

Εἰ δὲ οὐ ἐγκρατέουνται, inquit ille, γαμησάτωσαν, κρε-  
στον γάρ ἐσι γαμήσαι, η πυρβολαι. Enim uero quis  
uegeta

RITE EXAMINANDIS ET DIIVDICANDIS. 5

uegeta & naturali genitalium constitutione partium praeditus, omnibus uenerei stimulis amoris se immunitem uenditare potest? Sane, nec Samson fortior, ut D. HIERONYMI uerbis utar, nec Davide sanctior, nec Salomonē poteris esse sapientior, mulierum tamen amore capi sunt. Est etenim amor communissimus affectuum, omnium implantatus animalium, praecipue hominum generi; ἔτι δέ ἔρως, ait PLATO Sympos. εὖφυτος ἀνθρώποις, καὶ τῆς ἀρχαιότερης Φύσεως συναγωγεῖς. Vnde universi Conditor mundi diversa utriusque sexui indidit organa genitalia, quae, accendentibus pubertatis annis, a succorum dictas alluentum & rigantium partes exstingulata, utrumque sexum celebrando aptum amori reddunt. Hinc, cum mas ad delendas lascivi comotiones amoris se solum imparem deprehendat, uoluptatis sociam, & uice uersa foemina socium quaerit. Idem bene perspectum cognitumque habuit ARISTOTELES, sequentia Ethic. I. ad Nicomachum afferens: ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ φίλια δοκεῖ πατέρα Φύσιν ὑπάρχειν ἀνθρώπων πατέρων καὶ αναγνοῦστερον δικτὸν πόλεως. Cum itaque quemuis uenerei illecebrae amoris, qui decenti, nec infirma, corporis gaudet dispositione, solicitent, coniugium utique nulli esse dissuadendum, quiuis, nisi mera iactens impuritate & scelere, mecum affirmabit. Licet enim multis aerumnis & calamitatibus sit onustum, plurimi tamen commodi maximique gaudii & solatii non omnino expers est; hoc optime nouit Mimmermus apud STOBÆVM Orat. 63. hunc in modum loquens: τίς δέ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἀτέρ χρυσῆς εὐφεοδίτης τεθνάντη ὅτε μοῦ μηκέτι ταῦτα μέλει. Et

Argumen-  
ta antece-  
dens pro-  
bantia.

A 3

PLV-

PLUTARCHVS in Connub. Praecepi. Θάλυμον ἐντεξένες δόκιμα λέγον appellans, consentientem cum Hierocle apud STOBAEVM Orat. 67. habet animum, qui affirmat, σδέν ὅντω φροντικὸν ἔνοι τῶν ὅντων, ὡσε μὴ πᾶσον ἔνοι συφρονῶσι αὐδῆι καὶ γυναι. Dicitis ut nullus subscribe dubito, sic maximam in feligenda coniugii socia cautionem & diligentiam esse adhibendam, sedulo moneo, ne aliquis effreno furentis abreptus impetu Venetris, talem desideret & requirat, qua potiri non potest, uel, quam, si eadem potiatur, odio deinceps persequitur.

## II.

Virtutes in  
feligenda  
coniugii  
socia diui-  
tis & for-  
mae prae-  
ferendae  
pulchritu-  
dini.

Amantium  
qui sint  
mores?

Verum enim uero, tanta est hominum improbitas & peruersitas, tanta, tamque incredibilis lascivientis coecitas amoris, ut plurimi nulla morum, ad quos praecipue respicere decet, ratione habita, solo auri atque argenti moueantur splendore, solaque formae uitro fragilioris & niue fugacioris capiantur pulchritudine, atque in eadem continua defixi speculatione tantopere irretiantur, ut mens ab omnibus aliis abstracta cogitationibus, assiduoque adamatae desiderio personae exagitata, sui ipsius non amplius compos sit, sed modo spe, suavia de amoris sui exitu somnia animo souens, erigatur, uel desperatione, spe amissa, omnis inops consilii atque auxillii, supprimatur; modo sedatis aliquantum perturbati fluctibus animi, maximo erga se ipsum, stultitiam suam agnoscens, excandescat odio, mox uero conspiciens denuo Pandorae suae uultum, omnibus derelictis negotiis, quae expedienda habet,

habet, necessariis, solummodo de reciproco illius amore sit sollicitus, uariisque modis adamata potiri al laboret, & si conceptae exitus spei non respondeat, uel in grauissimos mentis corporisque incidit morbos, uel insani audacia amoris inductus technis plane abscons & flagitious personam desideratam ad suam uoluntatem perducere, omni annititur studio. Solus enim amor nullis coercetur legibus, nullo uerecundiae mouetur consilio, nullaque poenae flectitur atrocitate;

μόνου ἀπαιγυόριτον ἀνθεώποις ἔρως, inquit MENANDER;  
 οὐτε γὰρ πύρος, & τ' ἀσεων υπέρτερον Βέλος, οἷον τὸ  
 ταῖς αὐθοδίταις ἵστω εἰς χερῶν ἔρως ὁ Διὸς ποῖς, ut cum  
 EVRIPIDE in Hippolyto loquar. Quot bella tam  
 publica, quam priuata, insaniensis induxit uehementia  
 amoris? quantae clades, quantae strages exinde or-  
 tae? quot ciuitates dehinc euersae? quot homi-  
 num millia misere mactata? acrumnae profecto & cala-  
 mitates, quas uenereus indiuiduos habet amor comites,  
 haud ullis aequiparandae, nec numerandae. Quid  
 enim homini uita charius? quid gratius? Tanta  
 uero saepius amoris coecitas, tantaque immanitas, ut  
 dulcissimae filum uitae, quod perquam tenue & breue  
 Natura homini largita est, ui maxima corpori illata,  
 & nunc, adacto in pectus ense, nunc rapidis concredito  
 corpore undis, uel sumto clam uiscera humoresque  
 depascente ueneno, uel uia aeris per laqueum inter-  
 clusa abrumpere non uereatur, prout exempla, quae  
 SCHENCKIO, QVERCETANO, ZWINGERO, RI-  
 DOLINO, FORESTO, FABRICIO HILDANO, AMA-  
 TO LVSITANO, FRACASTORIO, RONSAEO,  
 MARCELLO DONATO, CRINITO, FERNELIO,  
 DOLAEO,

Impensi  
delineatio  
amoris.

DOLAEO, RIOLANO, BARTHOLINO & BORELLO annotata legimus, demonstrant. Haud a recto exinde me aberraturum iudico, cum Poëta sic canente amorem delineans:

*Nescis, quid sit amor? Furor est, & post omnia  
mentem  
Eripit, & damnis pascitur ille suis.*

Incommo-  
da & morbi  
exinde ena-  
ti.

Quinimo ad acerrimi genium ueneni corpus la-  
befactantis & penitus euertentis amorem accedere iure  
meritoque affirmari potest, ut atrophia, mentis to-  
tiusque machinae hebetudo, melancholia, febres tam  
acutae, quam chronicae, deliria atque alia innumera  
mala inde generata palam faciunt; Haerent enim, ut  
pulchre effatur VIRGILIVS lib. 4. Aeneid. infixi peccore  
nultus, uerbaque, nec placidam membris dat cura quietem.  
Haec, ut refert VALERIVS MAXIMVS Memorab. lib. 5.  
cap. 7. Antiochus, Seleuci Regis filius expertus, qui  
uehementissimo Stratonices amore flagrans, in supre-  
mam incidit maciem, iacens in lecto, mox e uita di-  
scessuro similis; Nam, ut apposite notat Canace  
Ouidiana Epist. II.

*Fugerat ore color, maciesque obduxerat artus,  
Sumebant minimos ora coacta cibos.  
Nec somni faciles, & nox erat annua nobis  
Et gemitum nullo laesa dolore dabam.*

Et medico, & Patri uniuersaeque Amicorum co-  
horti, causa huius mali erat occulta, tristitia uero inter  
omnes

omnes maxima, maximusque squalor, atque actum  
certe de eodem suisset, nisi Erisistrati prudentia dete-  
cto morbi fonte, Parenis genuino atque unico, quod  
aderat remedio, filio succurrisset; dictus quippe Me-  
dicus magnam animaduertens pulsus mutationem,  
nunc praefente, nunc absente contingentem Stratoni-  
ca, ueram deprehendit morbi originem, eandemque  
Patri aperuit, qui cessa filio coniuge sanitatem redi-  
dit. Sic quoque **HIPPONATES** tabem in Perdicca  
Macedoniae Rege ex intenso erga Phrynen amore ge-  
nitam obseruavit. conf. BEVEROVICIVS *Idea Med.*  
*Vet. Part. 2. lib. 6. cap. 2. p. m. 148.* Perquam scite quo-  
que amor apud *Herculanium* diuini nomine affectus in-  
signitur, contrarias quippe & sibi inuidem maxime re-  
pugnantes & mentis & corporis commotiones exci-  
tans; Amoris enim irretiti uinculis haud raro tam ab-  
iecto prostratoque sunt animo, ut sibi ipsis diffidentes,  
nec adamatam alloqui, nec in huius conspectum pro-  
dire audeant; Subito uero hi, spe incerta in certam  
uersa desperationem, irrequieto uoti potiundi deside-  
rio ardentius flagrantes, erepto per uim amoris sano  
intellecū, nullam habent pudoris, nullam periculi,  
in quo uersantur, maximi, rationem, sed nunc ui, nunc  
clandestinis, quas straunt, insidiis, uoti compotes fieri,  
maxima student corporis & mentis contentione. Hinc  
praecipue *Philtrea*, Remedia illa tum ridicula, tum per-  
niciosa, quibus amorem in certo & determinato subie-  
cto, quod amantem alias auerlans haud potuit perfer-  
re, conciliari posse, plurimis persuasum est, aliaeque  
magicae & superstitionae nugae eundem pariter in fi-  
nem adhibitae originem trahunt.

B

III.

Exempla,  
quibus  
modo dicta  
demon-  
strantur.

Originalis  
Philtro-  
rum causa.

## III

Adscripta  
Philtris  
virtus de-  
sideratur.

**N**on immerito Philtris ridiculi nomen remedii attribuo, uirtute enim naturali, quam ab illis requirunt atque expectant lasciuiae famuli ueneris, eadem desti- tuuntur, nec quod debent, ualent praestare. Qua enim ratione remedium, quascunque etiam obtineat particulas, siue serosas & oleosas, siue alkalinas acidas- que, uel salino-fixas & uolatiles, sulphureas, uel terre- stres ac uiscidas, amorem, quem mentis merito desi- derium licet appellare, quo erga obiectum amabile fla- grat, eidemque inhiat, uel ex ipsa personae, quam pu- tamus pulchram conspectu, uel ex delineatione ab aliis facta, mentique firmiter impressa, ortum, naturali mo- do conciliare potest? Optimum sane iudico philtrum corporis uenustatem morumque suavitatem, quibus fir- missima animorum coniunctio, atque indissolubile mu- tuae inter marem & foeminae amicitiae uinculum o- minum optime conciliatur. Pulchritudo dehinc Grae- cis καλλονή & καλλος, παρὰ τὸ καλέω, quod omnes ad se alliciat, dicta, secundum ARISTOTELEM referente

ΣΤΟΒΑΕΩ Serm. 63. πάντος ἐπισολίου συστικώτερον; at- que ut differit P L A T O in Phaedro, καλλος μόνον αὐτὸν ἔχει μοῖραν, ὡς εἰφανέστατον ἔναν καὶ ἐρασμιστατον; Et si audiamus XENOPHONTEM in Sympo. καλλος φύση βασιλικόν τι, ἀλλως δὲ καὶ ἦν μετ' αἰδεῖς καὶ σωφροσύνης. Istiusmodi & mentis & corporis dotibus philtri uim obtainentibus exornata erat Aspasia, cuius AELIANVS uar. Hist. lib. 12. cap. 1. iniicit mentionem, quamque ardentissimo amore duo potentissimi Re- ges CYRVS & ARTAXERXES prosecuti sunt. His quoque

Praefan-  
tissimum  
Philtrum  
venustas  
corporis &  
morum  
suauitas.

**RITE EXAMINANDIS ET DIUDICANDIS.** II

quoque superbiebat Thessalica illa mulier, quam deperibat Rex PHILIPPVS, quaeque ueneficio eum circumuenisse dicebatur; OLYMPIAS enim egregiae praestantiam formae, suauiumque elegantiam morum in eadem conspiciens, facessant, inquit, columniae, Tu in te ipsa reposita geris philtra & ueneficia. Sic certe idem nostris etiam temporibus usu uenire solet, multique conceptae capti admiratione pulchritudinis, philtris fascinati creduntur, quos tamen nihil aliud, quam otium, luxus, & non interrupta Personae desideratae contemplatio exagitat & solicitat; ut dehinc non incongrue dixerit DIOGENES, amorem esse otiosorum negotium, cum quotidiana constet experientia, quod hic affectus potissimum otio uoluptatique deditos, quique omnium deliciarum copiam possident, occupet. Hinc DAVIDES eo cumprimis tempore, quo curarum laborisque expers in superiori Regiae domus parte obambulans Batsebam conspiciebat, amore corruptus alieno flagrabat. Et Ammonem Gennitoris insistentem uestigiis, ad illicitum desidia amorem, amor ad extremam corporis maciem & desperationem, desperatio ad detestandum incestus flagitium deducebat. Potipharis pariter, Regii illius Pharaonis ministri coniux otio & luxu diffluens tantopere JOSEPHI afficiebatur pulchritudine, ut non erubesceret, exhibita etiam ui, eundem ad suam uoluntatem perducere.

**IV.**

**Q**uorsum autem referam aurum atque argentum? Ad Philtra referuntur quid dicam de iisdem? Philtri eadem praestantissimae.

Illarum  
Virtutes  
in perfis-  
ciendis  
plurimis.

tissimi & certissimi titulum promereri , nec exoptato his confidentes exitu frustrari , peritissimi Philosophi existimarunt , nulli asserere dubitantes : absque argento nullum esse amorem ; Γένος δὲν εἰς ἔρωτα , inquit ΑΝΑCREΟΝ , σοφία , τέρπος πατέται , μόνον ἀργυροῦ βλέπουσιν . conf. GELLIVS Noct. Attic. lib. 19. cap. 9. & CRINITVS de honest. Disciplin. cap. 9. lib. 4. Aurum utique atque Argentum , neruu rerum gerendarum , atque optima sunt instrumenta quibusvis rebus , & difficiilius expedientis paria ; ea , inquam , quae prudentialiae , potentiae , astutiae factū sunt impossibilia , auri parent atque obediunt fulgori ; Aurum Aignonianio Asino peritissimi characterem & priuilegia Doctoris conciliat ; Aurum Aesopo deformiorem , JOSEPHO elegantiorem , MORIA amentiorem , SALOMONE sapientiorem , DAVO rudiorem , OEDIPO doctiorem , pessimo peiorem NEBVLONE , PAPA , qui se putat sanctissimum , religiosiorem reddit . PHILIPPVS , Magni Parens ALEXANDRI , cum arcem quandam ac praesidium oppugnare destinasset ualde munitum , atque exploratores ab eodem missi , idem non oppugnatu difficile tantum , sed penitus etiam impossibile esse , renunciassent , percontando regessit , num adeo difficile , ut nec asinus auro onustus posset accedere , significans nihil tam firmum esse , quod non auro sit subditum , & quod secundum dicta DIODORI , τὰ τοῖς ὄπλοις ἀδύνατα χειρωθῆναι , τῷ χρυσῷ ῥάβδιόν ἐσι καταπολεμῆσαι τῷ γοὐς ἀργυρεῖα ὑποτάσσεται πάντα . Anceps autem haereo , nec , licet dicta haec tenus omnia meo confirmem consensu , pecuniae & diuitiis , ueri philtri nomen attribuere possum . Multa equidem matri-

RITE EXAMINANDIS ET DIIVDICANDIS. 1;

matrimonia inter personas mentis fortunaeque dotibus atque annis maxime dissimiles ope argenti contrahuntur, nullo uero modo inde demonstrari potest, quod idem firmum & reciprocum inter marem & feminam amorem conciliet, dum ratio atque experientia optima stultorum magistra doceat: amorem erga Auri atque argentum, odium erga uetulam uel senem, huius pos. Argenti in concilianissores afferre. Perquam leite igitur SENECA Epist. 9. do mutuo Ego tibi, inquit, monstrabo amatorum, sine medicamento, impotentia sine herba, sine ullius ueneficiae carmine, addo, & sine diuitiis, si uis amari, ama, & quidem personam & aetate & genere, & moribus, & forma tibi aequalem. Quod pariter PITTAGI MITYLENAEI est consilium, citatum a PLUTARCHO tr. de lib. educ. cap. 19. 3. τὴν οὐτοὶ σωτὸν λαμβάνειν καὶ ἴσην γονέευν monentis; Et, si qua uoles, canit OVIDIUS, apie nubere, nube pari. Similem CALLIMACHVS responsonem, Dion, ut extat apud Laertium, Matrimonii sociam querenti dedit; Hac enim ratione nullo alio tibi opus erit philtro, dum optimum iam ipse possideas, aequalitatem nempe, quae potissima omnis amicitiae caula, quanto magis eius, qua nulla est arctior & firmior. Sic potius, ut peritissimi in arte Amandi OVIDII fert consilium, nos tanget amor, quam fortibus herbis, quas maga terribili subsecat arte manus. Idem philtrum naturale eleganti Gallico carmine commendat GABRIEL NAVADEVS, Consid. Politiqu. sur les Coup d'Estat chap. 5. p. 336. hunc in modum:

Veux tu mon fils, que t' apprenne en peu d' heure  
Le beau secret du breuvage amoureux,  
Aime les tiens, tu sera aime d'eux;  
Il n'y a point de recepte meilleure.

B 3

V.

## V.

Philtrorum, Reliqua vero omnia, quae Philtrorum nomine cele-  
 quae natu- brantur, partim inania atque anilia, partim uene-  
 ralia dicun- nata, superstitionis & magica, quinimo magis furoris  
 tur, caralo- quam amoris conciliandi adminicula esse, nullus du-  
 gus fabulis constans. bito affirmare. Inanes certe atque aniles fabulae sunt,  
 que MATTHIOLVS & MIZALDV de corde hi-  
 rundinis, ALBERTVS MAGNVS de aetite, cerebro  
 felis uel asini, PLINIVS de utero hyaenae, uirga &  
 cauda lupi, echeneide, ossibus rubetae, scinco, chari-  
 toplepharo, semine uirili, staphylino, stergetro, de la-  
 certa in urina uirili necata, de pilis rostri hyaenae mu-  
 lierum labris admotis, uel de extremo dicti animalis  
 intestino, lacertis alligato sinistris, ORPHEVS & A R-  
 CHELAVS apud dictum Historiae Naturalis scriptorem  
 de Sagittis corpore eductis & cubantibus suppositis,  
 POMPONATIVS & CARDANVS, de urina hirci, de  
 puluere, in quo se mula uolutauit, SELEMNII aqua,  
 herba Promethea, HELMONTIVS de peculiari her-  
 ba, quam passim obuiam libro magnet. uulner. Curat.  
 c. 25. ait, nomen vero ne fraus detegeretur, reticens, cui  
 vero talem inesse uirtutem scribit, ut, si teratur & fo-  
 ueatur manu, donec intepuerit, mox alterius manum detinueris,  
 quoad & illa tepescat, amore tui ille totus continuo ardet ad  
 aliquot dies. Detinui pedem cuiusdam catuli, hic confe-  
 sim me peregrinum secutus, adeo, ut noctu ante cubiculum  
 eiularet, quo eidem aperirem, reliqua herba sua. Enim uero  
 risum teneatis amici, quisnam indicauit HELMON-  
 TIO, quod ex dicta ratione eundem canis secutus fue-  
 rit; & forsitan felicem huius herbae usum in amicis non  
 uero

vero inimicis expertus fuit. Hisce autem iam sepositis, reliquias iam Fabulas inspiciamus de amatoria rosae uirtute, cuius frutex humano fuit rigatus sanguine, unguium resegitibus, menstruo sexus sequioris cruore, quae dicto commendantur Autore. Ita porro ea, quae A c o s T a de herba Indica, uiua dicta, D I O S C O R I D E S & modocitatus P L I N I U S de phiteummate, leontopodio, & de utriusque generis contanance, M O N T O G N E T T V S, M A I O L V S & D A L E C H A M P I V S de herba Flavia in insula Lethir crescente, P O R T A de Anterrhino, L O B E L I V S de stellata leguminosa, C L A V D E R V S de certo quodam puluere, cuius parua passeri exhibita dosi, iste adeo uinctus fuisse dicitur, ut deinceps perpetuus Medici illius, qui eundem exhibuit, comes esse uoluerit, & quae alii de aliis, quorum uberiorem, si desideras catalogum, suppeditat de Vanit. scient. C O R N, A G R I P P A l. i. c. 40. perhibent, anilem sapiunt Philosophiam. Nec maiori dignum applausu, quod ex J O A N N E B E G V I N O refert D I E T H E R R V S Conim. Thes. Praet. Besold. sub Lit. L. n. 58. p. 374. Dictus enim autor Tyrocin. Chym. lib. 3. cap. 1. p. m. 446. & 447. iubet sanguinem e uena secta personae exosae missum, & per plures dies digestioni, uitro, in quo continetur, bene clauso, commissum, ex balneo uaporoso per alembicum usque ad siccitatem destillare, & aquae deinde sic per distillationem BEGVINI paratae, unam vel duas drachmas in uini haustu, ie- experimentum ad concilian- hibere; hac quippe methodo, inquit ille, mirabili ad dum amo- modum metamorphosi, animi dissidentium conciliabuntur, o- miniumque rixarum fomites seu irritamenta cessabunt; sed ut taceam desiderari adhuc experimentum laudatas huius

huius aquae vires confirms, sic ipse BEGVINVS huius philtri agnouit infirmitatem superius dictis sequentia addens: *modo ad hanc medicinam etiam piorum consolationes & iucundae persuasiones accedant, maleuolorum uero obstreperorum grunnius abarceantur.* His itaque palam profitetur, quod nullis medicamentis insit uirtus alterum ad mutuum alterius compellendi amorem, sed quod idem persuasionibus, uenustate, aliisque illecebribus inducatur. Qua enim ratione iuueni marito talis aqua amorem erga uetulam strigosam & rugosam, illique ob deformitatem exosam conciliare potest? ad hoc impetrandum necesse profecto esset, ut loco turpis, quam menti oculus repraesentat, formae, plane aliam eidem de dicto obiecto imprimeret ideam; *Quis uero rationis compos, hoc de ullo credet medicamento?* Et sane, si hoc procederet, & s<sup>i</sup>, ut lepidissime AFRANIVS in Vopisco ratiocinatur, possent homines delinimentis capi, omnes nunc haberent amatores anus. Ridicula porro & superstitionem redolent, quae de amore per collyria, emplastrorum, unctiones, lumina, imagines bituminosas, cereas, argillaceas, pellem humanam, abortiuos foetus, aut ante baptismum mortuos, stercora humana, crepidas, lacinias, pergamenum uirgineum, secundinas, ranam formicarum nido iniectam atque ad ossa usque depastam, succensionem ligneae oliuarum substantiae, quae éπιτυπαι, seu minutulae oliuae dicuntur, & quibus meretriculas, diuitiis, formae pulchritudine, & aliis, quae iuuenes alliciunt, destitutas, ne ante ueneris templum, de quo HERODOTVS lib. i. excubare cogerentur, olim usas fuisse, prohibetur; per annulos denique, quales MOSEN & SALOMONEM con-

Diuersa  
Externorum Phil-  
trorum  
genera.

confecisse, asserit Iosephus, per carmina demum, inscriptiones, characteres atque alias huiusmodi nugas conciliando, traduntur.

VI.

**M**axime quoque absonae rationes, quibus nonnulli certas istiusmodi philtorum uirtutes demonstrare satagunt. Ita certe naturalis illa & mumialis confermentatio, ex qua uires philtorum deducit **HELMONTIVS tr. de magne. uuln. Curat. n. 27.** non in natura, sed paradoxo huius capite, multorum absurdorum fabro dogmatum, fundata est, nec ipse, quid eadem sit, & qua ratione operetur, nouit, nec definire potuit, paucis : mumialis confermentatio est otiosi figmentum ingenii. Absonae pariter ipsique rei minus quadrant, quas ex ueteribus desumptas de philtorum operatione naturali lalentias & rationes allegat **D. SIMON** Iure Consultus celeberr. *dissert. de Amor. Venenar.* prouocans simul ad Nicephori, Calisti, Theocriti, Lilii Gyraldi atque aliorum plurium consensum. Quis enim demonstrauit, ut prima dicti iureconsulti fert ratio, quod ope pharmacorum uoluntas in alterius odium possit concitari, cum medicamenta, ceu res materiales, uoluntatem, mentis, ceu substantiae immaterialis actionem non possint afficere. Saepius odium, quod inter cognatos & coniuges alitur, fascinationi adscribitur, quod uero, si rem probe examinamus, causas mere morales pro origine agnoscit. Deinceps, licet lubenter concedam, quod medicamentis insit, ut loquitur **D. SIMON**, *uis turbandi humores, irritandi,*

C

Rationes  
D. Simonis,  
quibus  
Philtra in-  
casum sta-  
bilire  
suscepit.

iandi, addo, & augendi, *semen*, & concalafaciendi corpus, quid uero exinde? non amor sane constans erga certum aliquod obiectum, sed erga quodcumque proxime occurrens, uno uerbo, lasciuia, & uehemens ad uenerem extimulatio excitabitur. Denique nihil in dictis ex sacro codice deflumtis, scilicet OSEA cap. 4. n. 12. NAHVM cap. 3. u. 4. BARVCH. cap. 6. u. 42. & BXUTORFFII Comment. ad hanc Prophet. p. 674. quod ad suae confirmationem sententiae faciat, deprehendo. Quod enim dictum Oseae, cum quo reliqua consentiunt, attinet, quo dicitur: πνέυματι πορνείᾳ ἐπλαινήθησαν, καὶ ἐξεπόρευσαν ὀπὸ τῷ Θεῷ αὐτῶν, non intelligitur per πνέυμα πορνείᾳ peculiaris quidam spiritus uel pharmacum, quo seducti fuerunt, sed lascivientis depravatio uoluntatis, a peruersa educatione, & malo uitae genere, malaque cum improbis consuetudine oborta, quae minus obediens erat diuinis praceptis. Quis uero cum CLAVDERO Dissert. Inaug. de Philtr. quam citat. WVCHERER Delineat. Phys. diuin. cap. 3. Sect. 2. §. 146. p. 171. existimabit, quod Diuina sit indignum maiestate, herbis & aliis remediis denegasse uirtutem reciprocum conciliandi amorem. Ego potius ab Omnipotentis uirtute Opificis omnibus numeris perfecta alienum iudico, rebus materialibus tales indidisse vires, quae mentes hominum possint ad aliquid compellere; hac enim methodo pessimi nebulones Principum & Magistratus animos ita sibi deuincire possent, ut quaevis mala illis impune patrare licet, ut reliqua, quae exinde dimanare possunt incommoda, non attingami. Minoris & nullius penitus momenti alterum CLAVDERI est argumentum, quod ad stabili-

Clauderus  
Simoni  
affenfum  
præbet.

RITE EXAMINANDIS ET DIUDICANDIS.<sup>19</sup>

stabilendam philtorum existentiam a simili desumit, dicens: si animalia sibi inuicem contraria atque odium alentia possunt medicamentis conciliari, multo magis hominum mentes; Verum adhuc sub iudice lis est, Vtriusque, an herbis, uel consuetudini potius, idem sit adscribendum; deinceps actiones hrutorum solummodo a uaria succorum constitutione & mechanica structura dependent, in homine uero, praeter corpus mechanicum, mens immaterialis consideranda, a qua uoluntas & amor dependent, adeoque hoc simile ad hominem non extendendum. Quae denique *TENZELIVS in Medicina Dialetatica*, *MIZALDV S Memorabil*. *ALBERTVS MAGNVS arcan. mul.* *MAXVELLV in Medicina Magnetica*, *CORNELIVS AGRIPPA in Philos. occult*. *THEOCRITVS*, *PARACELSVS*, & alii afferunt, non tam refutatione, quam anilem redoleant Philosophiam, quam risu digna; uel enim ab occultis qualitatibus, uel sympathiis, uel uaria signatura, nunc stellae in modum constituta, nunc formam unguium milui, uel testiculorum, & penis, aut uuluae muliebris habente, uel a uariis siderum constellationibus & harmonia cum certis plantis, certisque animalium hominumque partibus, & nescio quibus effluviis & aliis ridiculis caufis virtutem philtorum deducunt.

VII.

**D**e nihilo autem non est, quod Cl. FRIDER. HOFF. Saliuum certum esse MANNVS *Dissert. de Saliu. & eius Morb.* p. II. & Philtrum, est HOFF. SCHVRIGIVS *Sialog.* cap. 4. §. 59. afferunt, saliualem MANNI sententia. nempe humorem, philtri munus obire praestantissimi,

cum ex communicatione huius liquoris duarum personarum consensu oriatur, iidem scilicet affectus animi, qui spirituum animalium foetus sint. Quantas enim Saliua in alterandis mutandisque humoribus, atque exinde dependentibus actionibus, vires obtineat, satis superque Pathologica & Chymica demonstrant experimenta. Omnibus porro est in confessio, quod talis mentis commotio, qualis succorum, liquidi praeципue neruei & cerebri constitutio. Saliua denique in ora canum peregrinorum projecta, eosdem nobis ita natura & amicitia coniungi, ut nunquam a latere discedant nostro, haud pauci affirmant. Tantum uero abest, ut haec mihi in demonstranda saliuae ui amatoria satisfaciant, ut potius contrarium existimem. Si enim Saliua bene & naturaliter est constituta, nihil boni, nihilque mali exinde proueniet, sin Scorbutica malisque deprauata qualitatibus, eadem morbos a ingerendo ministrata, eandem reciproci loco amoris infirmitatem cum subsequentibus aliis symptomatibus, ut hydrophobia, ex morsu alterius hydrophobi, laborantes, & transfusio sanguinis tantopere primum celebrata, mox uero ob infelices successus repudiata demonstrant, inducit. Experimentum uero, quod a canibus desumtum, ad huius rei demonstrationem adducitur, a ueritate alienum esse, ipse usus edocetus confirmare possum. Maximum tandem huius sententiae momentum fautores philtrorum a farragine exemplorum amatoriis seductorum remedis deducunt. At, prout neminem credo affirmaturum, Daudem a Bathseba, Ammonem a sorore Thamare, Potipharis coniugem a Iosepho philtris correptos fuisse, sic plurimi, qui huiusmodi poculis & remedis

cir-

Hand ue-  
rae semper  
causae  
amor im-  
putatur.

circumuenti dicuntur, non aliam praeter iam allegatam thesi tertia amoris intensi causam mere naturalem atque originalem agnoscent, cum ipse usus sic *narr' εξοχην* dictorum philtorū demonstrauerit, non tam amorem, quam phtisīn, febres ardeentes, deliria atque alia grauia & luctuosa Symptomatā exinde oborta fuisse, ut MART. RVLANDO *Curat. Empyric. Cent. 3. Cur. 31. p. m. 179.* THEOPH. BONETTO *Anat. Præd. lib. 2. Sect. 7. obs. 142. p. m. 620.* FREYTAGIO *Noct. Med. cap. 16.* HENRICO ab HEER *obs. 13.* BALDVINO RONSEO *Epiſt. Med. 48.* CASP. a REIES. *Elyſ. iuc. quaest. camp. qu. 29. §. 28. p. m. 213.* THEOD. ZWINGERO *Theatr. uit. hum. Vol. 2. l. 7. p. 550.* multis demonstratur obſeruationibus. Merito hinc Medici & Philosophi prudentes, Philtorum usum ceu inanem & periculosum cum IOH. FRID. HELVETIO *Diribit. Med. p. m. 117.* LANGIO *Epiſt. 34.* ROD. a CASTRO *Med. Polit. lib. 4. c. 2.* THOM. SPRENGERO *mall. mallef. Part. 1. qu. 7.* MÉDINA *lib. 2. de uit. oppos.* HENNELIO ab HENENFELD *Otio Vratislau. c. 21. p. 156. & sequ.* ANDREA DV-DITHIO *Epiſt. ad Nicol. Taurellum DELRIO Disquis. Magic. 1.3. p. 1. qu. 3. Sect. 2. p. 366.* BOKELO *tr. de philar. damnant reiiciuntque.* Perquam ingenue atque ele- Plurimo-  
ganter MERCVRIALIS Philosophus & Medicus in- rum affen-  
signis Italus de his differens sequentibus nostram cor- fusi, qui  
roboret sententiam *Epiſt. ad Wencesl. Raphanum:* de Phil- uera ne-  
tria. gent Phil-  
tris, quae ad conciliandum amorem mirifice conferre  
antiquitas credidit, mea sententia est, neque illa existe-  
re, nec medicorum prudentium contemplationi subii-  
ci. Amor amore conciliatur, sit procul omne nefas,  
ait OVIDIUS, ut ameris, amabilis esto. Et quod docet  
PLATO in Lysis similitudo animorum, studiorum, aeta-

tis est potissimum amoris philtrum, ut etiam actiones & vita honeste composita, &c. His suum quoque calculum addit HERMANNVS GRVBE lib. de Transplant. Morb. p.m. 45. Ferunt equidem, inquiens, semen nostrum uel cibo, uel aliis rebus immixtum, & foemini propinatum, amorem nobis posse eorundem conciliare. An uero Philtra sic dicta ex semine concinata uoto ac desiderio satisfaciant, & numne attractio hie subsit συνταθην, rationibus atque experientia eluditur; siquidem tot exitus doceant tragicci, amoris loco furorem succedere, ac mentis quandam alienationem. Ergo, cum summo Amoris Magistro concludo, quisquis opem nostra tibi poscis ab arte, deme ueneficiis carminibus fidem. Nam, ut idem lib. 2. de Art. Amand. canit:

Fallitur Aemonias, si quis recurrit ad artes,  
Datque, quod a teneri fronte refellit equi.  
Non facient, ut uiuat amor, Mideides herbae,  
Mixtaque cum magicis mersa uenena sonis.  
Phasias Aesonidem, Circe tenuisset Vlyssen,  
Si modo seruari carmine posset amor.  
Nec data profuerint pallentia Philtra puellis;  
Philtra nocent animis, uimque furoris habent.

### VIII.

Diversus  
philtrorum  
sensus. Mea uero minime est sententia, amatoria penitus negare remedia; Nam uti antecedentibus iam demonstratum, morum & corporis uenustas praestans-

tissimi

tissimi titulum philtri promerentur ; Ita pariter, si philtrum, ut ipsa huius uocabuli innuit origo, tanquam remedium languentem exsuscitans uenerem considero, quod alias aphrodisiacum, recepto in scholis Medicis termino, appellatur, eadem utique iam dicto sensu statuere teneor. Philtrum enim a uerbis Φιλτρον, Φιλτρα uel Φιλτρα deductum, quod uis denotat, quod uenero excitando fauet amo-ri; unde etiam hoc nomine superioris cavitatis labii, a Lactantio lacuna dicta, insignitur ; Et Pastinaceae agresti teste EVSTACIO idem attribuitur titulus, cum eiusdem radix, ut tradit DIOSCORIDES de Mat. Med. l. 3. c. 3. uenerem stimulet. Nec inficias ire possum, istiusmodi Philtra, quae aphrodisiaca dicuntur, esse media, quibus amor iam praeiens magis accendi, & quibus melius ad amorem personae nobis haud exosae commoueri possumus. Dari uero talia remedia, quae amorem, loco odii, quod antea mente fouimus, im-mennum, erga subiectum nobis penitus aduersum atque ingratum, uel erga certam & determinatam nobis adhuc ignotam excitent personam, maxime absolum nec ul-teriore dignum demonstratione iudico. Clarius au-tem huius rei ueritas in apricum deducetur, si ad ea, quae in Amantibus, qui Philtris creduntur fascinati, contingunt, attenta sedulo respiciamus cura. Haud desunt historiae istiusmodi foeminarum, quae repu-diatis maritis elegantissima & praestantissima corporis forma praeditis, amasios aspectu omnino turpes sibi elegerunt. Vti uero continuo satis constat usu, quoti-diana improbis uilescente hominibus, ita accedente ta-lium foeminarum inexhausto libidinis oestro, cui re-stin-

Male ac-  
cusantur  
pocula  
Amatoria,  
naturali-  
bus pra-e-  
sentibus  
mediis.

stinguendo maritus exiliore minusque uegeta nec continuo oscillante praeditus mentula, haud pares obtinet uires, uilescit in coniuge erga eum amor, maiorique hospitis, licet turpi praediti facie, qui desideratas hic possidet uirtutes, tenetur desiderio. Ex his autem uice uersa in uiris euuenientibus quiuis luculenter perspicere valet, hic falso philtro adscribi propinato, quod genitalium uigori & rigori partium competebat, ac nimio salacitatis ardori, qui utique perniciosissimo & ueneno, si non deterior, similis certe philtro.

## VIII.

**Venenata,**  
quae soli-  
das & flui-  
das cor-  
rumpunt  
partes, Phil-  
tra.

I. Poma  
amoris &  
Hippo-  
manes.

II. Sola-  
num.

**H**aec itaque ad alteram Philtrorum classem, uenena-  
torum nimirum & magicorum, nos deducunt.  
Venenatis autem omnia ea annumeranda, quae natu-  
ralem fluidarum & solidarum partium dispositionem  
peruertendo, maxima corpori illata ui, atrocissimos  
grauissimosque morbos, & ipsam haud raro mortem  
inducunt. Iстiusmodи farinae sunt poma amoris; hip-  
pomanes, quod VIRGILIO lib. 3. Georg. & OVIDIO de  
Med. faciei nocens amantis equae uirus, & IVVENALI  
Sat. 6. uenenum nuncupatur, quodque similem equinae  
cupidini mortalibus accendere amorem, asserunt CO-  
LV MELLA lib. 6. ARISTOTELES Hist. Animal. 1. 6. c. 22.  
& Phys. lib. 8. Solanum seu Lycocotonon tetraphyllum,  
alias herba Paridis dictum, quod idem, ut fert fabula, hu-  
ius usу Helenam Menelai ad suum compulerit amorem,  
diligenti uero Botanicorum obseruatione de illo constat,  
quod illis, qui idem collegere, stuporem induxerit; par-  
tes animalium morbo aliquo infectorum contagioso;  
cor-

corruptus cacochymicarum sanguis menstruus; Non  
abs re dico cacochymicarum, cum a ueneni suspicio-  
ne sanarum menstruus sanguis, quem absque discrimi-  
ne **PLINIVS, ALBERTVS & plures alii** damnarunt,  
liber esse debeat. Istiusmodi uero deperditae indolis III. Caco-  
fuit crux menstruus, quem Lucretio Caro, uxor eius chymicus  
Lucila, cum afflato excitatum Poetico, alieno incen- menstruus  
sum esse amore putaret, propinavit, a quo, ut Illustris fangus.  
**DE BERGER lib. de Nat. hum. cap. 20. p. 254.** loquitur,  
miser Poeta in rabiem uersus, sibi ipsi manus intulit.  
Per apposite de hac **RHODIGINVS** occasione Liuiae  
**Aniqui. Leet. lib. 14. cap. 14.** Itaque Liuia, ait, uirum su-  
um interfecit, quem nimis odit, Lucila suum, quena  
nimis amauit; illa sponte miscuit aconitum, Lucila de-  
cepta furorem propinavit, pro amoris poculo. Talis  
quoque fuit, quem apud **PETR. BORELLVM Hist.**  
**Med. Cent. 1. obs. 65.** cum leporis sanguine mistum haufit  
Theologus, cuius usu tanta correptus fuit matia, ut  
proprium occiderit Patrem. Insipiente exinde insipi-  
entior iudicandus Mammercus Scaurus Consul, qui se-  
cundum **SENECAE** testimonium *de benefic.* lib. 4. c. 31.  
menstruum ancillarum suarum sanguinem hiante ex-  
cepit ore; Similiter Saliua, (qua Lucium Vitellum pro IV. Salua  
philtro usum fuisse traditur) hominis cacochymici & corrupta  
uenenato laborantis scorbuto, maxime pernicioса est,  
qualem habuit Caelestinus Stondratus, de quo **BAGLI-  
VIVS Diff. ad Cl. Hottonem. cap. 1.** refert, quod halitu ex  
eius ore exente cochlear argenteum nigro ac uiola-  
ceo colore uix delebili infectum fuerit. His quoque V. Man-  
mandragora a **PYTHAGORA** Anthropomorphon dicta,  
quam **GOTHIVS lib. 6. Hist. Goth. cap. 24.** NICEPHORVS  
D C. A.

VI. Plura  
composita  
PhiltraVe-  
nenata.

CALISTVS hist. Ecclef. lib. 5. cap. 27. una cum Belgis, uti narrat LEVINVS LEMNIUS Cap. 2. explic. herb. bibl. ad amoris referunt remedia, & cuius poma, eadem fuisse, quae Ruben ex rure redux matre Leae attulit, nonnulli Theologi & Botanici Codicem Talmudicum Sanhedrin secuti perhibent. Eiusdem in specie radix a nonnullis Graecorum, quod specificam in eadem mutuum conciliandi amorem uim residere crederent, Circea appellata fuit. Illae porro placentae, quibus studiosus apud RVLANDVM C. d. deglutitis in delirium incidit, quaeque deinde per emeticum eiectae effervescebant instar cibi ad ignem ebullientis, luculentum uenenatae sua qualitatis testimonium praebent. Istiusmodi genii quoque fuit potio illa, quam Imperatori Carolo IV, ut refert VILANVS, illius uxori, Adolphi III. Ducis de Cleuis filia, quo huius erga se intensiorem redderet amorem, propinavit; Vix etenim, maximoque cum uitiae periculo & capillorum desfluvio lethiferam Charontis cymbam euasit. De Veneni pestilentia maxime quoque suspectum poculum illud Circuum, quo Bononae Petrus Lotichius accepto, misere, ut narrat FREYTAGIVS Noct. med. cap. 16. huius uitiae usura in florente aetate orbatus fuit. Male itidem audit philtrum illud apud RONSAEV M epist. 48. quo amasia despontato, ut remorantes properaret nuptias exhibito, atrophiam nullis curandam remediis atque in lentam desinentem mortem, attulit.

X.

## X.

Deteriora autem adhuc sunt, quae de Philtris Magi- Quid &  
cis, cacodaemonis, exactissimi illius mille artifi- quotuplici-  
cis technarum adiumento confectis tradi solent. Stre- cia Philtra  
nuos praesertim detestandi huius uitii sectatores fuisse ueteres gentiles historiarum monumenta in apricum deducunt. Aegyptios sacerdotes, a quibus alias, testibus, HERODOTO lib. 2. DIODORO SICULO Bi- blioth. Hist. lib. 1. ad alias gentes scientiae & artes pro- pagatae, magica philtorum uanitate haud abstinuisse, testatur HELIODORVS lib. 3. Aethiop. Thessala philtra seu Charitesia antiquissimum machinamentum magicum appellat HIERON. JORDANVS lib. de eo quod supernat. in morb. cap. 23. p. m. 88. Gnothici maxime de philtris curiositatis, somniorum artificibus & assessoribus daemonibus gloriabantur. Marcus Magnus a S.IRENAEO muliebris pudicitiae per incanta- tiones expugnator appellatur, huiusque discipulos, philtris Rodanenses dementasse mulieres, eodem re- latum legitur. De Babylonicis uirginibus refert HE- RODOTVS lib. Hist. easdem poma certis characteribus signata exhibuisse, uel ut WIERVS tr. de praefig. Daem. lib. 5. docet, cremasse ossa oliuarum, uel potius ligna istarum, prout manifeste ex Ebraico שָׁנָה & נְזָן demonstrari potest. Rationi enim perquam congruum uidetur ad uersionem Latinam Graeci textus Baruchiani uocabulum ossa, hic positum, ex Ebraica uel potius Chaldaica petitum esse dialecto, reuera si- gnificans lignum; Hinc אַצְנֹוּתָא דִּיְקָלָעָא lignum cingens

D 2

pal-

palmam uertitur, conf. DAVID. COCHEN de LARA  
*Lex Talmud. Rabbin. b. u. p. 18. col. 4.* VN uero lignum  
 & NDN suuaeolentis fruticem ligni, & per conse-  
 quens assa sive ossa oliuarum nihil aliud sunt, quam  
 ipsissimum oliuarum lignum, quod alias, affirmantibus  
 idem Rabinis, ob egregias, quas eidem adscribebant  
 virtutes, in luffitu aliisque usurpatum modis, ut pre-  
 stantissimum, ad mutui excitandam amoris sym-  
 pathiam, philtrum, commendabatur. Magnam pariter

A diversis  
 diversa ra-  
 tione para-  
 ta Philtra  
 Magica.

huius artis peritiam habuisse uates Aesculapii, expe-  
 rimentum, quod Martyrol. Graec. in vita Hilarion.  
 WIERVS d. ir. lib. 5. c. 13. p. 550. HENNEL ab HEN-  
 NENFELD l. d. p. 160. recensent, manifestum reddit;  
 iuuenis enim, ut fert fabula, amore virginis captus,  
 cum eadem non posset potiri, Memphis ad dicti  
 Antistites idoli profectus est, consilium atque auxili-  
 um ab iisdem desiderans; Sic etenim, ut ulterius  
 de his, in Martyrologio Graecorum crudimur, μαγ-  
 καῖς ἐαυτὸν ἐδιδώσε τέχνις. Πέταλα χαλκὺ ὄντα,  
 καὶ μορφαὶ τινὲς δαιμόνων ἐν αὐτοῖς διαγύλφονται, καὶ  
 νηπιαῖς δεσμῶνται λεπτοῖς. Ἐπειτα καὶ ἐμπατὰ τινὰ γον-  
 τιὰ ἔγχαραττονται ἐρυθρίς, ὡς αὐτὸς ὦτο, ποιῶνται,  
 καὶ πάνυ μισθμένος τις καὶ ἀτοργὸς ἡ. Καὶ ταῦτα ὑπὸ<sup>④</sup>  
 τοῖς Φλαισὶ λαίθεσ τις σίκιας πατοτρύονται τις παρθέ-  
 νης αὐτίκα, γένη δαιμόνων τις τῶν Φιλιθόνων ἐφάλλεται  
 ταῦτη, καὶ οὕτα ηλισκετο τῷ ἔρωτι τῷ παιδί. Tali  
 etiam philtro, cuius virtus in annulo inclusa delite-  
 scebat, usam fuisse lasciuam illam puellam, quae Ca-  
 rolum Magnum ita fascinasse dicitur, ut uiuam non so-  
 lum deperiret, sed defunctae etiam cadauer pari profe-  
 queretur honore, teste cognoscimus QVERCETANO,  
 Diaetos.

RITE EXAMINANDIS ET DIIVDICANDIS. 29

*Diaetet. Polybist. Sect. 1. cap. 5.* Ita lynx avis singularis ad accendendum amoris feruorem efficaciae credita fuit, ut Pindari Scholiaestes, *ad Pythonic. Od. 4.* manifestat sequentibus usus : λαμβάνουσαί οἱ Φαρμακῖδες τὴν ἵγγα, δεσμέυστην ἐκ τροχὸς τῶν, ὃν περιφορφῆσ- σιν, αἷμα ἐπάδεσαν. Οὐδὲ Φασὶν, ὅτι τὰ ἔντερα ἀντοῦ ἔξελκυστασαι παθάπτωσι τῷ τροχῷ. Huc etiam possum, cuius meminit SALMUTHVS, *Obs. Med. Cent. 1. Obs. 70.* atque ex quo penitus nigro factō, sexto die ranulae enatae, quae lacte nutritae calido incrementum ceperunt, affusa uero urina equina adhuc calida extinctae fuerunt, nonnulli cum Cl. SPERLINGO *Dissert. de Salacit.* referunt. Similis farinæ apud HENRICVM ab HEER *Obs. rar. p. 168.* puluis illius iuueniculae lasciuiae iudicatur, quem deglutitum primo copiosa sanguinis excretio per os, altum, penem, atque aures secuta est; hanc deinde exceptit reiectio qua tuordecim limacum rubrorum uiuorum per aluum uno secessū excretorum, tandem leprosus factus, cum memoriae abolitione fuit restitutus. Horrendum penitus detestandumque, nec, an fide dignum, scio, quod ex Respons. Scabin. Lipsiens. Mens. Novembr. 1661. adducit D. SIMON *diss. cit. thes. 22.* de puluere amatorio nigro, ex animalculo, fuso simili, confecto, quod dissoluta mulier e coitu cum cacodae- mone peracto, peperisse dicebatur, quo propinato, maritos haud paucos, ad suam perduxerit uoluntatem; tales plures historias DE EDEKENNO *Conf. Theol. uol. 3. n. 6. p. 362.* & *uol. 4. n. 22. qu. 3. p. 793.* DELRIO *Diss. Magic. l. 3. qu. 9.* GIRLANDO de Sortileg. *qu. 3. n. 16. p. 538.* TIRAQVELL. de Leg. Commub. *Gloss. 1. part. 14.*

D 3

p. 206.

Raræ &  
stupenda  
philtorum  
magicorum  
obserua-  
tiones.



p. 206, n. 4. FRANCISCO BENTIO in literis An. 1589.  
Romae excusis. PAVLO DIACONO lib. 18. VINCENT.  
lib. 23. HOEGERO Herc. Med. lib. 18. SENNERTO  
lib. 6. Pr. Part. 9. c. 9. p. m. 942. WIERO de praefig.  
Daem. lib. 3. c. 37. & 38. occurunt.

## XI.

Quid Phil-  
tra Enthusi-  
astica?

In hunc pariter censum referenda Philtra Enthusiastica Anglo Bataua, quibus non mutuum saltem inter Fanaticos aliosque ab illorum Secta abalienatos amorem conciliari, sed simul similem etiam ab Enthusiasmō sanis liberisque labem & noxam cum succidente ecstasi & tremore afficari afferunt. Diabolicis istiusmodi Philtra mediis concinnari, esseque supernatura-  
lia & Daemoniaca, omni deposita affirmat dubitatione ZORNIVS Dissert. de Philtris Enthusiasticis Anglo Batauis sub GRAPPII Praesidio habita Sect. 3. & 4. p. 19. Cui fauet BVDAEVS Gallus l. 1. ff. de aedil. & exempli, qui nullam inter Fanaticum & Daemoniacum differentiam agnoscens eosdem unam eandemque improborum speciem hominum constituere pronunciat. uid. PAVL. ZACHIAS Quaest. Med. Legal. l. 2. Tii. 1. Quaest. 18. §. 6. p. m. 151. Enim uero, Enthusiastica, si quaedam dantur, Philtra, esse mere naturalia, atque in humana ataxiam excitantia machina, & solidarum & fluidarum actiones peruer-  
tendo partium, mentis inducere alienationem, spasti-  
casque membrorum agitationes, ex ipsis argumentis in dicta contentis dissertatione, aliisque, tum a ratione, tum experientia petitis, nullus haesito demonstrare. GERHARDI CROESI iam defendere sententiam mea-  
rum

Non Dia-  
bolica, uti  
censet Zor-  
nius, sed  
naturalia  
sunt.

rum haud est partium, qui in *historia sua Quakeriana l. i.* p. m. 43, haec in medium profert: nonnullos omniconcubiliarum genere Enthusiasmo deditos excipere, & de vita atque actibus illorum, sine ullo tamen autore, spargere & diuulgare, esse nequissimos mortalium, esse exorcistas, ut auligari utar nomine, & ueneficos, qui sua speciosa doctrina feneram & ianuam ad malitiam omnem patefacerent, & suis praetextibus atque incantationibus homines inescarent & caperent.

Nec ZORNIO iam obiiciam esse ignota adhuc talia remedia, horumque existentiam a nullo adhuc sufficienter demonstratam. Perinde mihi quoque erit, siue eadem ex genitali uirorum liquore & menstruo mulierum sanguine, uti de Gnosticorum Philtris scribit EPIPHANIUS haeres. 26. parentur, siue infantes in nocturnis procreatos conuenticulis igni immolent, atque in puluerem redactos ad dicta adhibeant facinora, uti de Fratricellis, Hermanni Pongilupi asseclis scribit SPONDANVS in *Continuat Baronii ad Ann. 1297. Sect. 8.* Vel deinde, uti EVSEBIUS lib. 4. c. 7. atque AVGVSTINV S haeres. 26. referunt de Carpocratianis & Basilidianis, ex anniculi sanguine infants conficiantur. Tales enim pulueres remediaque similia, quocunque etiam ue- Concitando morbos  
nenorum instar agentia, diuersa incommoda malaque operantur.  
excitabunt grauiora; hinc itaque conuulsiones, tre-  
mores, mentis abalienatio facili possunt oboriri negotio,  
qua deinceps intellectus inducendo imbecillitatem  
über-

Ex quibus  
eadem pa-  
rentur?

uberrimum nimiae credulitati somitem suppeditant, ita;  
ut deinceps istiusmodi homines errores grauisimos  
tanquam uirtutes praestantissimas actionesque praec-  
clarissimas, imo ipsa falsissima tanquam uerissima sibi  
firmiter concipient, aliorumque dictis & praeceptis  
quocunque etiam modo se habeant promte obsequan-  
tur. Enthusiastica porro Philtra, materiali, morbos  
excitando contactu, in humanis operari corporibus  
ipse concedit ZORNIUS *dict. diff. sect. 3. §. 5. p. 20.* asser-  
rens, puluerem rubrum, quo lagae ad excitandos u-  
tantur morbos, esse eum, qui & ad excitandam Ecsta-  
sin ab Enthusiasmi Amicis in usum uocetur, prouo-  
cans ad MICHAELIS Medici quondam Lipsientes ce-  
leberrimi testimonium, qui *dissertat. de Veneficiis*, trium  
puluerum iniiciat mentionem, qui frequenti lamiis  
essent in usu, & quorum primum atro praeditum co-  
lore mortem afferret, alterum rubicundum aut cine-  
reum morbis inferuaret conciliandis, tertium denique  
alba resplendens superficie antecedentis constitueret  
antidotum, morbisque exinde enatis denuo profligandi  
conduceret; Cum itaque ZORNIUS existimat  
alteram pulueris speciem esse eam, qua Enthusiastae  
ad Ecstasin excitandam utantur, ipsemet concitando  
morbos, dicta Philtra Enthusiasmo fauere concilian-  
do, affirmat; Adeoque non cacodaemon, sed puluis  
propinatus ac contraria eiusdem & uenenata consti-  
tutio plurium hic euuenientium Autor symptomatum  
erit, ita, ut certo constet, talia Philtra esse mere na-  
turalia respectu originis, respectu uero suae perniciofac  
& deleteriae indolis, periculis annumeranda uenenis.  
Miror hinc ualopere, Celebrem illum Medicum  
Hal-

Argumen-  
tum Zorni,  
quod idem  
probat.

Hallensem, FRID. HOFFMANNVM in tam uariorum dissensum opinionum incidisse, cum, uti extat in German. tr. qui dicitur : *Ausführliche Beschreibung des Unfugs, welchen die Pietisten in Halberstat in Dec. 1692. geflüstert, primum cap. 15.* Quedlinburgensis Enthusiasmum Magdalene pro singulari & diuina animae affectione habuit ; Deinceps uero a naturalibus eundem affectum uoluit deducere causis, uti patet ex eiusdem epist. de affect. catalept. rariss. ad D. GEORG. WOLFG. WEDELLIVM ; Demum uero in simili iterum casu, qui cum SEMLERO & JANINEUENIT, ipsos motus Enthusiasticos, ab altiore causa, eaque uel diuina, uel Daemoniaca deriuandos esse arbitratur ; Cum tamen uti ipsae demonstrant circumstantiae ac dictarum exitus rerum, fuerint partim simulata & ficta, eaque, quae reuera euenerunt, atque ab aliis obseruata fuerunt, similium usu remediorum, de quibus iam agimus, naturali penitus modo potuerint concitari. Hancce meam de Enthusiastico coniecturam puluere pluribus possem demonstrare exemplis, sufficere uero arbitror unicum a LASSENIO Theologo summe Venerando suppeditatum, qui cap. 1. p. 7. *In der Schriftmäßigen Erörterung der neuen Sect der Quäcker, sequentem affert historiam : Ich habe mir berichten lassen, dass einsmahl ein Englischer Kauffmann gen Rom gekommen, und von einem Geiſtlichen selbiger Nation besucht worden, der unter andern Discoursen von Zustande seines Vaterlandes gefraget, er wolle seine Landes - Leute in kurzem besuchen und Quäcker machen. Als der Kauffmann fragte, was er dadurch verstehe, nimmt er ein Pulver, streuet etwas davon in Wein, und giebt dem Kauffmann zu trinken, davon dieser so fort anhebet zu zittern und*

E

zu

Diuersa  
Hoffmanni  
de Enthu-  
siaſmo ſca-  
tentia.

**Exemplum  
ad huius rei  
euincen-  
dam uerita-  
tem.**

zu beben, niederfällt, und mit dem Munde grässlich schäumet. Was geschicht, nach einigen Jahren, beginnet sich die Quäckerey zu röhren, da gedachter Religieuse in Habit eines Fleischbackers sich bey ermeldetem Kauffmann angiebet und offenbaret als einen Apostel der Quäcker. Dieses hat zwar der Kauffmann der Obrigkeit hinterbracht, aber der Vogel war schon entflohen, und nicht mehr zu haben. Prout autem ex hac relatione uberior constat per propinatum puluerem conuulsiones atque Epilepsiam mediis mere naturalibus ac materialibus fuisse concitatam, quae deinceps denuo, secreta atque excreta materiali huius morbi per viscera depuratoria causa, desit, ita ipse euentus ad satietatem demonstrat, non tam amorem, quam odium erga dictam Sectam eique deditos dicti usu pulueris fuisse excitatum, nec, reiecto penitus dicto remedio, eoqure haud amplius usurpato, tremores alia que symptomata rediisse. Clarius adhuc huius asserti veritas redditur, si uirgines mulieresque hysteromania laborantes symptomataque in iisdem contingentia similia illis, quae Enthusiasmo deditis obseruantur, consideramus atque examinamus; si porro nobiscum perpendimus ea, quae in Melancholicis atque ebriis eueniunt, & cum Fanaticorum conferimus actionibus; Si deinceps expendimus, ita dictos Daemoniacos & Fanaticos naturalibus curari remedii, ut plurimarum exemplis foeminarum patet; Ita constat de Anna Margaretha Janin, quod Enthusiasmo primo affecta postquam Medico nupsit Hamburgensi, a dicto libera malo euaserit. Christina pariter Poniatouia uaticinari desit, contracto cum eodem matrimonio, quem coelestem antea nominabat amicum. *uid. AVTOR der aus-*

RITE EXAMINANDIS ET DIIVDICANDIS. 35

aufführlichen Beschreibung des Pietistischen Unfuges cap. 8. p. 124. Si demum Sancti choream Viti cum Enthusiasmo maxime congruentem examini sistimus accuratiori, conf. BOISSARDVS de Diuin. c. ii. Si tandem tarantula laesorum & Fanaticorum trutinamus conuenientiam. Et quod reliquum est, omnis ulteriori anfa dubitationi surripitur historia GESNERI referentis lib. i. de Animal. c. de cane lit. G. p. 2. tom i. miseri exemplum aegroti, qui ex rabidi morsu canis in consummatum incidit Enthusiasmum. Recte exinde ARE-

Enthusia-  
smus per  
Maniae de-  
finitur spe-  
ciem.

TAEVS l. 3. c. 6. de caus. sign. acut. morb. GARIOPO-  
NTVS lib. i. c. ii. SCHENCKIVS l. 1. obs. tit. de Mania,

ad Deliria referunt Enthusiasmum, de cuius cum de-  
lirio conuenientia eleganter GARIOPONTVS cit. l.  
differit ; Enthusiasmus, inquit, est species maniae  
periculosa nimium, irritantur tanquam maniaci, atque  
in se manus iniiciunt. Hi subito arripiuntur, cum sal-  
tatione manuum & pedum. AC TVAR. similiter lib. i. Me-  
thod. cap. 16. asserit, quod Enthusiasmo dediti, a ma-  
iori aliqua ui afflari uideantur, & modo non futura  
praedicere, ceu nituntur uates quidam ; istam uero,  
subiungit, uaticinandi promptitudinem, aegritudinem  
ab eo appellatam, aut in risum, uti de Magdalena  
Schulzia Fanatica refert FEVSTKINGIVS Gynaeceo  
Fanat. p. 587., aut in feritatem, uti exempla passim  
obuia, atque unicum cui testis adfui  $\omega\mu\tau\circ\pi\tau\eta\varsigma$ , euin-  
cunt, definere. Conf. ZACHIAS lib. tit. & qu. cit. §.  
32. & sequ. p. m. 125. & 153. WILLISIVS Parhol. in fine  
cap. 12. VALENTINVS Corp. Jur. Med. Legal. Append.  
3. c. 7. §. 2. p. m. 538.

E 2

XII.



## XII.

Quae sit  
Diaboli in  
mutuo  
conciliان  
do amore  
potestas.

**E**x his autem quae antecedentibus capitibus dicta sunt, merito enodanda uenit quaestio, quae quantum fides ibi commemoratis sit attribuenda historiis, & quanta Diaboli in homines potestas. Non diffitendum utique est, quod multae allegentur historiae a cacodae-  
mone obsessorum & sagis fascinatiorum, quae fictae  
falsa&que partim, partim a causis mere naturalibus de-  
pendent. Miram enim corporis iactationem & com-  
motionem cum variis absonis & peregrinis uerbis, nec  
non bufonum, ranarum, lacertarum, crinium, acicula-  
rum, carbonum, & similiu[m] huiusmodi per os aluum-  
que reiectionem minime sufficere ad demonstrandam  
fascinationem, euincunt obseruationes passim annota-  
tae, quibus luculenter ostenditur, non supernaturalia  
sed naturalia fuisse horum malorum semina. Ita M I N-  
D E R E V S testis ἀυτόπτης in Medicina Milit. cap. 2.  
mentionem iniicit rustici, qui per interualla 254 ranas  
adiumento medicamentorum reiecit. Bufonis per al-  
uum purgantibus expulsi medicamentis historiam re-  
censet S A L M V T H V S Cent. 2. obs. 93. Bufones & ranas in  
humano prognatas corpore conuenientibus iterum re-  
motas remedii commemorat G R Ü L I N G I V S Cent. 2.  
obs. 9. & Cent. 7. obs. 14. Scarabaeos Solares aluinis simul  
excretos fuisse fecibus, narrat T I M A E V S v o n G V I-  
D E N K L E E lib. 3. cas. Medicinal. 10. conf. P A V L S O R B A I T  
Mise. Cur. Ao. II. obs. 103. item Dec. II. Ao. VIII. obs. 57.  
H O R S T I V S Epist. Med. Sect. 7. de admirand. Conuulf. p. 21.  
R V Y S C H I V S Decad. III. Aduers. Anat. obs. 3. D R A W I-  
Z I V S

RITE EXAMINANDIS ET DIUDICANDIS. 37

ZIVS de scorb. dolorif. p. m. 90. REINESIVS Epis. ad Neferos, HELWIGIVS obf. Phys. Med. 80. 92. Non tamen inficias ire possum, multa in libris Medicorum fide dignorum exempla stupenda penitus occurtere, quorum rationem ex Physicis deducere haud possumus; talia praeципue LANGIO lib. I. Epis. 28. & 38. SENNERTO. lib. 5. Pr. p. 9. c. 5. ANT. BENIVENIO de occult. morb caus. c. 8. HORSTIO in Addit ad Marc. Donat. edit. nou. p. m. 716. TIMAEO A GULDENKLEE lib. 7. Cas. Med. 24. inueniuntur. Ex his uero, ut luculenter appareat, quod magna cacodaemon potestate, in humana corpora pharmacorum aliarumque naturalium adiumento rerum operandi sit instructus, sic nullus adhuc dedit probatum, quod idem ius iste in mentem huiusque actiones obtineat. Libero enim hominem gaudere arbitrio ex Deuteronom. 4. Job. 24. Psalm. 26. Epis. ad Corinth. I. c. 3. demonstrari potest, afferitque BERNARDVS BASINIVS de Art. mag. conclus. 6. haeresin esse, si modo aliquis credat, liberum hominis arbitrium a cacodaemone posse cogi. Accedunt his exempla tam ethni-  
corum quam Christianorum, in quibus cacodaemon omni sua arte & astutia nihil efficere potuit. Ita uirgo illa, cuius DANHAVERVS Theol. Conscient. Tom. 2. ini-  
cit mentionem, nullo magico artificio, ad mutuum a-  
morem, quo erga eandem incensus erat studiosus Agla-  
dius, commoueri potuit. Nec Thestilis, ut habet THEOCRITVS in Pharmaceur. Delphin, ullis uenenis ceremoniis & figuris, ad acres lascivii desiderii stimulos extinguendos incitare ualuit. Imo Medeam & Cir-  
cen, celebres illas in magicis meretrices, nihil suis arti-  
bus potuisse praestare, exemplis Iasonis & Vlyssis ex

E 3

Oui-

Diabolus  
nullum ho-  
minem ad  
alterius  
potest  
compellere  
amorem.

Ouidio desuntis demonstrant RODERICVS A CASTRO in *Med. Polit.* lib. 4. cap. 2. p. 222. & IOANNES WIERVS de *Venefic.* lib. 3. cap. 38. p. 381. His ita constitutis, si cacodaemonis quaedam in conciliando amore est potestas, hoc non tam cogendo, quam persuadendo demulcendoque hominis uoluntatem praefstat, quatenus iste unum idemque obiectum, ceu maxime desiderabile maximoque dignum amore menti representat, & firmiter imprimit, simulque appropriatorum ope remediorum, corpus ac liquidum nerueum, cuius ministerio affectus plurimum excitantur & promouentur, lacescit atque exstimulat. Huic uero scopo praecipue inseruiunt naturalis lasciuitas atque exhibita medicamenta aphrodisiaca. Sic certe haud difficili idem negotio impetrari potest in foeminis, quae tam acrem uteri possident limpham, ut non maximam saltem uuluae pruritum maximumque ad Venerem stimulum inducat, sed instar uescicatorii etiam femora delabens excoriarit, ueterumque odorem falsamentorum retulerit, memorante IOANNE van HORN Mirab.

Quo maior adest lasciuia, eo promptius inutus potest excitari amor. *Omnipot.* circa *Gener. Hum.* p. n. Simili modo huic periculo magis obnoxii sunt, qui uberiore arteriarum spermaticarum nec non testiculorum numero sunt instructi, ut referunt THOM. BARTHOLINVS lib. 1. c. 22. KERKRINGIVS *Spicileg. Anat.* obs. 32. c. 73. Ph. SALMVTHVS *Obs. Med. Cent. I.* obs. 23. RIOLANVS *Anthropol.* l. II. c. 27. IOAN. SCHMIDIUS M. N. C. Dec. II. Ao. 2. obs. 121. p. 280. VITVS RIDLINVS *Lim. med.* A. 1697. obs. 27. Prout enim illi a natura maxime in uenerem sunt proni, & saepe inexhausto salacitatis ardore exagitati flagrant, sic perquam' facile intensissimus erga cert-

certum aliquod individuum iam commemorata superius methodo amor in iisdem concitari potest, maxime si sic dicta aphrodisiaca, qualia sunt omnia uolatilia, acria, aromatica, narcotica, euchyma, & quaecunque uberiorem chyli & seri nutritii copiam, & ex his enatam seminis turgescentiam atque abundantiam suppeditant, simul in usum trahantur.

### XIII.

Commendantur uero alias ad languentem uenerem Aphrodisiaca, Philtra quoque uo-  
speciali appellatione, cum τὸ Φιλὲν, Φιλία, uel Φίλοι uantur.  
vñv, a quo Philtrum deducitur, excitent, remedia a-  
matoria seu philtra appellantur. conf. Celeberrimi  
CHRIST. VATERI *Physiol. Experim. Append. cap. 1.*  
quaeß. 4. p. m. 843. Horum catalogo inserta reperiuntur Solymus, Asparagi Polones, Arsenicum, Cantharides, Scinci marini, Borax, Zibethum, Moschus, Ambra, Vina generosa, Lacticinia, Chocolada Indica, Opata, Confectio alkerimes, Oua sorbilia, emulsiones amygdalarum, seminum papaueris albi & rhoeados, anthriscus, quem chaerefolium esse iudico, cuius peculiarem laudem esse, PLINIVS scribit, quod fatigato uenere corpori succurrat, marcentesque iam senio coitus excitet, cerebra & testes gallorum, coturnicum, passerum, caro cancerorum, ostreorum, auellanae, pineae, pistacia, phaseoli, cicer, oryza, eruca, asparagi teneiores, satyrium, erythronium dictum, de quo DIO-  
SCORIDES *Mat. Med. lib. 3. cap. 144.* famam esse, prodidit memoriae, quod radix huius, si modo manu tenea-

Diversae  
de iisdem  
Relationes.

teneatur, uenerem stimulet, eoque magis, si bibatur in uino; Et ex KIRCHERO refert W E D E L I V S Amoen. Mat. Med. lib. 2. SeCt. 2. c. 17. p. m. 480. quendam obseruasse, quotiescumque in horto ad definitum locum praetereundum exspatiaretur, solicitatum se ad uenerem, cumque id pluribus, non una vice tentasset, tandem deprehendisse, quandam Satyrii speciem ibi crescentem, causam huius salacitatis. Hanc uero, ut & illam THEOPHRASTO lib. 9. Hist. Plant. cap. 20. ac LANGIO lib. 2. Epist. 21. annotatam de Planta historiam, quae non comesta modo, sed genitalibus etiam admota, tam egregiam inspiret virtutem aphrodisiacam, ut quoties aliquis uellet, coire posset, ita ut Indus hac usus septuagesies aliquando, cum emissione seminis guttatum facta, & tandem in sanguinis stillicidium definite, penis exercuerit uigorem, fabulis, in quibus fingendis Monachi, (hae enim relationes illis originem debent) perquam ingeniosi sunt, ut se naturalis suspicione salacitatis, in quam ob desidiam & luxum maxime sunt proclives, liberent, omnino similes iudico. His porro annumeranda herba Indorum Bangue dicta, de qua uid. FRAGOS. Tr. 3. de Med. Ind. c. 26. p. m. 54. Electuarium Diasatyronis, quod diuina ad uenerem compositio HOLLERIO obs. 27. audit; Aqua uitae Diasatyronis Angeli Salae; Sal Diasatyronis HARTMANNO laudatum; Coagulum leporis cum oleo maioranae & moscho in electuarii formam redatum, a PENA & LOBELIO Hist. Stirp. pro secreto habitum; Sal leporis, spiritu uini solutum, FABRO lib. 5. panchymag. cap. 13. p. 666. ualde commendatum; puluis ex carne & ossibus galli cum sale paratus, quem

Variae  
aphrodisia-  
corum spe-  
cies, simpli-  
ces & com-  
positae.

com-

commemorat CASP. A REIES Elys. iuc. qu. Camp. quae<sup>st.</sup>  
44. §. 17. p. m. 315. item puluis ex sale communi & la-  
certis confectus, cuius cum laude AVICENNA lib. 3.  
fen. 20. ir. 1. c. 18. mentionem facit; semina cardemo-  
ni, sinapeos, & quae plura SCHENCKIO obs. lib. 4.  
ABR. MERCKLINO in Medicin. Thier Buche cap. 10. p.  
m. 186. PAVLLINI Cynograph. curius. Sect. 3. cap. 7. p. m.  
136. CASP. A REIES l. c. CHR. JOH. LANGIO Op.  
Med. P. 3. Diff. 38. de steril. §. 36. p. m. 515. & 516. PLINIO  
H. N. l. 2. c. 21. p. m. 396. HENRICO AB HEER Obs. 9.  
PLATERO Consil. 5. Si etenim omnia, quae ad exci-  
tandum ueneris oestrum commendantur ab autoribus,  
commemorare uellem, in immensam haec dissertatio  
molem increaseret; his sane acquiescere possumus,  
dum omnia, quae commemorauimus medicamen-  
ta, sufficienter nos doceant, quod uel suarum sa-  
lino acrum, uel salino volatile atque oleofarum,  
uel denique serofarum & gelatinosarum adiumento  
particularum, nunc fluidorum ad Solida impulsum,  
Solidorumque in fluida contractionem atque oscillati-  
onem augendo, & dehinc torius massae sanguineae  
concitando periodum, omnibus partibus, & ipsis,  
inde etiam genitalibus eandem motus formam imprima-  
nt, & nunc humectando, partesque aridas rore nu-  
tritio conspergendo, promouendoque feminis secre-  
tionem, copiam & turgescientiam, languenti succur-  
rant ueneri. Haec autem omnia exoptato destituun-  
tur effectu in illis, qui ob malam partium genitalium  
constitutionem impotentia coeundi laborant, & qui-  
bus senilis aetas continuaque morborum truculentia  
totius languorem corporis & miserae flacciditatem

In quibus  
frustra  
aphrodisia-  
ca adhibe-  
antur.

F

men-

mentulae induxit, ac cui, iuxta illud PETRONII, *funebrata est pars illa, quia quondam Achilles fuerat, & frigidior rigente bruma confugerat in viscera mille rugis opena* Hos hinc recte increpat IVENALIS Satyr. 10. dicens : *Iacet exiguus cum ramice neruus, & quamvis tota palpetur nocte, iacebit.* Deinceps merito memori tenendum mente, quod etiam talia inter aphrodisiaca medicamenta reperiamus relata, quae nisi cum iudicio, habita diligentissimum circumstantiarum ratione, applicentur, ualde perniciosa & deleteria existunt. Sic quantas tragoeidas in corpore humano, Antimonium, quod pariter uenerem stimulantibus accensetur, absque consideratione subiectorum exhibitum egerit, copiosae loquuntur obseruationes. Ita pariter Cantharidum usu, quem ad emortuam exsuscitandam uenerem laudat ZACVTVS LVSITANVS, non solum uehemens usque ad mortem miserios excrucians priapismus, ut JOBV A MEEKREN ex Cabrolio lib. Obseru. cap. 34. p. m. 141. refert, sed cruenta quoque mictio, cum immanni partium urinae excretioni inferuentium dolore, *Ιχθες*, penis inflammatione, & haec subsequente morte oritur, prout DANIEL LUDOVICI M. N. C. Dec. 1. Ao. 9. & 10. obs. 34. p. m. 98. memoria digna cuiusdam historia manifestat, qui, ut amasiae plenum persoluens debitum, satisfaceret, integrum cantharidem, abiectis saltet alis durioribus, cum diafatyrio deglutiens in tantum sanguinis per penem effluxum, cum uehementissimo priapismo incidit, ut cito dehinc obicitur, durante etiam aliquandiu post mortem firmissima penis erectione. Ac teste PLINIO H. N. l. 29. c. 1. Cossimum equitem Romanum Medicus Aegiptius can-

Venenata  
aphrodisia-  
corum  
quorun-  
dam indo-  
les.

cantharidum poru interemit. Plura de his vide apud  
SALMVTHVM Cent. 3. obs. 29. p. m. 129. & BAGLIVIVM  
de Vf. & abus. Vesicant. cap. 1. & 2.

## XIV.

Quemadmodum autem nemini ex antecedentibus  
obscurum esse potest, quod philtra proprie &  
nat' εξωχνία sic dicta, quae uim ueneni obtinere supe-  
rioribus thesibus explicauimus, multo atrociora sym-  
ptomata & longe frequētiores hominum mortes ex-  
citent, ita non dissimulandum, certa illorum signa,  
certamque & fidam haec curandi methodum maxime  
in occulto adhuc latere. Instituti tamen nostri ratio  
desiderat, ut quibus remediis uis philtorum deleteria  
obtundenda atque expurganda, & quae poena iis, qui  
philtra conficiunt atque exhibent, in foro JureConsul-  
torum statuta sit, explicemus. Ipsi uero medelae me-  
rito sunt praemittenda signa, quibus de propinato  
philtro certi esse possumus. Si de his audiamus LAN-  
GIVM Oper. P. 2. c. 19. Signa philtri non adeo sunt in  
aprico, tanium enim abest, insano qui uexatur amore, ut  
semper ex philtro eum contraxerint, quin saepius ex aliis  
causis, solaque haud raro imaginatione hoc malum originem  
sumat, ita, ut ne ipsis aegris, se per totum eiusmodi intox-  
icatos affirmantibus, fides tuto adhibeat, nisi certis  
documentis constet, ipsos consorcio huius farinae hori-  
num utentes ex tempore uesano amore correptos male se ha-  
bere coepisse. Si itaque homo optime ualens, derepen-  
te, post accepta uel alimenta uel medicamenta, a perso-  
na suspecta, insolitis symptomatibus, uehementi scili-

Nulla dan-  
tur certa  
Pathogno-  
monica  
signa,  
quibus da-  
mina a Phil-  
tri's excita-  
ta ab aliis  
morborum  
causis di-  
stinguere  
possumus.

cet uentriculi ardore, cardialgia, anxiate & delirio, nec non priapismo & uehementi partium genitalium titillatione & pruritu corripitur, indicium de philtrei propinatione formari potest. Conf. FRID. HOFFMANNVS Medic. *Consulutoria Dec. 3.* Cas. 8. de falsa Philtri imputatione p. 143. VALENTINVS Corp. *Iuris Med. Legal. Part. 1. Sect. 3.* Cas. 20. p. 120. usque ad p. 128. CAROLVS MVSITANVS *Operibus Trut. Med. lib. 1. cap. 24.* p. m. 81. His tamen minime contentus esse debet lurre Consultus & Medicus, multo minus credat. Delirium sine febre esse Pathognomonicum atque essentiale dati signum Philtri, ut WIERVS de *Veneficiis lib. 3.* p. m. 382. SCHENCKIVS *Obs. 30. L. 31.* SENNERTVS *lib. 1. Prax. Part. 2. c. 10.* atque ETTMULLERVS *Disp. de moribus Venen. uiperae,* asserunt, sed ulterior adhuc instituenda inquisitio, certiorque huius notitia a persona suspecta tam astutia, quam ui accersenda. Quando igitur de his certi simus, ad medicam properandum. Optima uero, tam in praecauendis, quam curandis, quae philtra inducunt afflumta, malis, remedia, Emetica, in principio praesertim philtri propinati atque adhuc in uentriculo & primis uii haerentis usurpanda. Perinde autem erit, ut loquitur CHR. IOH. LANGIVS *Op. M. P. 2. c. 19.* p. m. 125. siue Mercurio uitiae id praefliteris, de quo LANGIVS in *Miscell.* habet experimentum, seu insuffione croci ex RVLANDI conflio, Cur. Empyr. Cent. 5. obs. 91. uel ex uitriolo, conf. FABER Cur. 49. siue ex auro uitiae KEGLERI, conf. SENNERTVS Part. 3. S. 3. p. 4. siue urina equina calida, ad imitationem SALMVTHI, siue alii, Sale uidelicet emetico uitrioli, tartaro emetico, Ipecacuanha; omnia enim prorsus idem effectus sequitur. Enim uero ego maximo-

Ad omnes  
sedulo cir-  
cumstan-  
tias in  
Philtris  
propinatis  
reficien-  
dum.

ximopere suaserim, ut bene consideremus, quae & solidarum & fluidarum in aegroto, cuius gerimus curam, partium dispositio, quae philtrei, si huius notitiam assequi possumus, indeoles, & cui praecipue remedio adsuetus sit. His rite peractis, ad sic dicta bezoardica, quae specialem ueneni assumti respiciunt qualitatem, progrediendum. HARTMANNVS *Prax. Chymiar.* p.m. 32. muliebrium puluerem secundinarum ad drachmam unam alteramue, bis per duos dies in spiritu uel aqua theriacali exhibitum, cum variis emplastris & electuariis, quorum praeparationem dicto uide loco, valde extollit. Praecipue illis, qui ex accepto Conuenientia feli-  
philtro atrophia laborant, lac equinum cum pauxillo genda me-  
fachari frequenter sumendum, praestantissimum esse dicamenta,  
auxilium, idem pariter d. l. afferit. IOANNES tum ad cor-  
AGRICOLA *Comment. in proprium tractat. de Antimon.*  
p. 55. dicti mineralis Essentiam, Arcanum Anti- rigenda,  
monii, seu flores huius diaphoreticos p. 147. & Regū tum euacu-  
lum Antimonii p. 297. egregie ad oppugnandum phil-  
trorum virus valere commemorat. THEOPH. BO-  
NETTUS *Sepulchret. lib. 2. Sect. 7. obs. 142. in schol.* non asse-  
rit tantum, Nasturtium aquaticum, haud vulgaribus  
contra philtra viribus praeditum esse, sed idem etiam  
pereleganti experimento demonstrat. Huius usum  
hic quoque cum helleboro nigro approbat Celeberrimi-  
mus trium Imperatorum Archiater CRATO A  
CRAFFTHEIM *lib. singul. Epist. Med. 50. 91. 92. 93. 231.*  
*Experientia,* inquit, probatum est, Nasturium magnam uim  
contra philtra habere, prodest & hic quoque decoctum belle-  
bore nigri, quod cum aquis cordialibus & aliis humorem me-  
tancholicum respicientibus, satis felici successu datum est.

F 3

Mar.

Convenientia feli-  
genda me-  
dicamenta,  
tum ad cor-  
rigenda,  
tum euacu-  
anda Phil-  
tra, suffici-  
entia.

Margaritas praeparatas contra Philtrum ex menstruo mulierum & leporino praeparatum sanguine commendat BORELLVS Cent. 1. obs. 63. Singulare atque expertum a se remedium trochiscos de mirra in aquatici succo nasturtii exhibitos, ad destruendam dexteriam Philtri ex solo muliebri sanguine menstruo confecti vim appellat CAROL. MVSITANVS Trut. Med. l. 1. c. 14. p. 83. Vir quidam, recenset ETMVLERVS, loco Philtri aliquid de sanguine menstruo accepit inscius, unde fit, ut triduo spatio in miram totum corpus intumescat molem, omnesque partes inflentur mirabiliter; propinatur conueniens atque aqualis theriacae ac pulueris cardui benedicti, in dictae aqua herbae quantitas, umbilico uero imponitur dimidia panis recenter ex furno extracti ac theriacapuluere que cardui benedicti repleti pars, ad prouocandum sudorem; Quo quoque obhorto tumor cessat, panicuido & subcoeruleo infecto colore, leuisque conuentibus illlico cedens medicamentis diarrhoea succedit. Ita porro HOEFERVS Hercul. Med. l. 1. c. 7. p. m. 48. calculum gemmae puluerisatum & cum succo vel aqua Nasturtii propinatum, BLOKWIZIVS Anat. Samb. tr. 3. c. 33. p. 92, Sambucum & ex eo parata remedia, KVNRADVS medull. desill. Part. 2. p. m. 419. terram illotam in potu datam, & alii alia hic laudant medicamenta, uid. PHIL. GRVLINGIVS Cur. Med. Cent. 2. obs. 44. Cent. 3. obs. 51. Idem Pr. Med. l. 5. Part. 3. cap. 23, HENR. ab HEER Obs. 13. PH. SALMVTH Cent. 1. obs. 70. PETR. MONAVIVS lib. 7. Epis. 23. CASP. SCHÖTTVS Thau- mat. Phys. Part. 4. l. 5. Synt. 3. c. 4. WIERVS de praest. Daem. l. 3. c. 37. 38. M. SCHMVCK tr. de occult. magnet. morb.

Observationes Medicinae idem probantes.

morb. RVLANDVS d. l. Ioh. FABER curat. 94. SENNER-  
TVS d. l. Nec putet aliquis, uni alterius remedio,  
ceu panaceae philtorum hic esse fidendum; uarium  
enim diuersaeque indolis philtorum existit virus, nunc  
partes solidas arrodens atque exulcerans, uel uehe-  
mentius constringens atque obstruens, nunc succos  
condensans uel resoluens, ut diuersa, quae eorum u-  
sum comitantur & sequuntur symptomata, in apricum  
deducunt; alii enim exinde febribus ardentibus acu-  
tis, alii lentis tabificis afficiuntur; alios diuexat me-  
lancholia, alios phrenitis & mania. Imo tam pene-  
trans saepe est virulentum philtri miasma, ut non mo-  
do in illis, qui idem accepit corpore, atrocia excite  
symptomata, sed pestilentis instar morbi, communi  
quasi contagione ulterius serpat, ac, uel per saliuam,  
uel alia alis media communicatum, pari eosdem ra-  
tione misere excruciet, ut ETTMULLERVS diss. de morib.  
viper cap. i. Thes. 5. Op. Med. Vol. II. fol. m. 1665. de foemina  
ex accepto philtro manica refert, quae Torgauiae  
licetorem, ipsam in custodiam ducentem in simili-  
lem coniecit morbi calamitatem, morsu brachio pro-  
pe axillas inficto. Maximopere itaque Medico in-  
cumbit, ut de qualitate philtri exhibiti omnimode  
expiscanda, & applicandis dehinc appropriatis reme-  
diis, ut pluribus iam in *Nostra Dissertatione de rite per-*  
*quirenda morborum Origine inculcauimus, sit solli-*  
*citus.*

## XIV.

Non tantum uero Philtra, ob grauissimos, quos cor-  
pori inducunt morbos, sed ob nefandam quoque

Softilegia  
Philtorum  
præpara-  
tione & usu  
commixta.

im-

impieatem, blasphemias & superstitiones magicas penitus abominanda & damnanda, conf. GALENV lib. 10.  
de Simpl. Fac. Sic tradunt RODERICVS A CASTRO  
l. c. p. 218. GIRLANDVS de Sorileg. qu. 12. n. 23. part. 1.  
tom. 2. p. 384. THOMAS in Tr. qq. p. 1. qu. 10. uers. 9. sub  
tit. de Mirac. quod nonnulli tanta scateant improbita-  
te, ut accepta embryonum in utero mortuorum, at-  
que ante destinatum tempus exclusorum cute, hanc  
sub nomine chartae virginea, nunc rotunda, nunc qua-  
drangulari usurpent forma, eidemque varia inserant  
uerba u. g. ἄγιος ὁ Θεός, ἄγιος Ἰχρός, ἄγιος ἀθάνατος.  
Imo ipsam hostiam consecratam aliasque res baptiza-  
tas & consecratas, ut MATTH. BERLICHIVS Conclus.  
Præd. 5. part. 4. n. 65. p. 50. PET. GREG. THOLOSA-  
NVS Syntagm. Jur. uniuers. l. 34. c. 12. n. 4 p. 672. GIR-  
LANDVS lib. cit. qu. 3. n. 16. p. 338. testantur, ad dete-  
standa sua facinora adhibent. Et refert CHR. LVDOV.  
DIETHERRVS Continuat. Thes. Besold. p. 374. sub Lit. L.  
n. 38. Paduae & Venetiis quondam spiritus familiares  
publice uenales, nunc annulo, nunc globulo inclusos  
expositos fuisse, eodemque nomine uenditos, ut pos-  
sessorum doctum, diuitem, splendidum, & imprimis  
foemineo gratum acceptumque sexui redderent, ac  
Philtri instar amorem conciliarent dulcissimum. Opti-  
ma dehinc ad coercenda tam nefaria facinora Con-  
stantini Imperatoris est sententia, quam ad Bassum urbis  
praefectum rescripsit, eorum nempe esse puniendam &  
seuerissimis vindicandam malitiam legibus, qui magicis  
accincti artibus, aut contra salutem hominum moliri,  
aut pudicos animos ad libidinem deflexisse deteguntur,  
conf. HENNELIVS ab HENNENFELD l. d. cap. 21.  
p. 160.

Quae for-  
tilegis  
sit decreta  
in Iure-  
Consulتو-  
rum foro  
poena.



p. 160. Atque eos, qui incantamentis & magicis artibus, absque foedere Diaboli, usi fuerunt, gladio puniendo esse, BERLICHIVS P. 4. Concl. 5. n. 65. FARINAC. part. 5. Crim. qu. 122. n. 115. & sq. BESOLDVS Thesaur. Praef. adduct. sub Voc. Liebärnklein n. 58. p. 592. afferunt. Cum itaque talem mereantur mercedem, qui ad mutuum conciliandum amorem, absque facto cum Diabolo foedere magicis artibus utentes sortilegium commiserunt, poenae certe rigorem in illis intendendum esse, facile apparet, qui ad hoc praestandum foedus cum cacodae-  
mone, (si modo enunciatis earum, quas uulgus sagas appellat, fidendum,) inierunt. Huc sententia a Scabinis Lipsiensibus Mens. Nou. Ao. 1661. ad consulta-  
tionem ciuitatis Imperialis Muhlhausen lata referenda,  
qua illi foeminae, ignis, quo uiua comburenda esset,  
poenam dictarunt, quia, ut ipsa, (nescio an ui ueritatis, uel doloris & melancholiae compulsa) confessa est,  
cum cacodaemone foedus faciens ab eodem baptizata  
fuerit, deinde coitum cum eodem celebrans, animal-  
culum fuco non absimile pepererit, quo tandem in  
puluerem redacto nigrum, philtrei loco ad irretiendos  
atque alliciendos iuuenes & mares usa fuerit.

## XVI.

Ita alias haud pauci e Magnifico Jure Consultorum Quae in  
ordine, cum SALMVTHO ad Guidon. Panciroll. Rer. genere  
Memorab. lib. 1. p. 450. PAVLO CHIRLANDO in tr. de Philtra ex-  
hibentibus Sortileg. GOEHAVS part. 1. Peric. Acad. 2. qu. 15. p. 52. sit statuta  
ECKOLT ad tit. de stat. hom. §. 4. JOH. DAMHOVD in poena:  
Pr. crim. c. 61. SPECKHAN. Op. Jur. Pol. Hist. Med. Gent. 3.

G

Classif.

*Class. 2. qu. 5. n. n. 2. & pluribus aliis, quos allegant CARPZOVIVS Pr. nou. crim. Part. i. qu. 21. p. 88. & SIMON diff. cit. th. 43. p. 666. secundum Corneliam, Tit. Instit. d. Publ. Jud. §. 5. & CALLISTRATI legem, Digest. lib. 48. Tit. 19. leg. 28. cuius propinanti philtrum, siue sit magicum, siue naturale, ex cuius usu alter moritur, capitis adiudicant poenam. In quo sequentia preesse sequuntur uerba, que extant libris βασιλικῶν, L. 60. t. 51. l. 38. §. 5. & desumpta sunt, ex lib. 5. Sentent. PAVLLI J. C. ὁ δεδωκὼς πόιμα πρὸς Φίλτρον, ἢ ἀμβλοτρόδος, οὐχ χωρὶς δόλου, ἐντελῆς μὲν ὡν μεταλλίζεται, τίμιος δὲ ἔξοριζεται μετὸς μερινῆς δημηνεσεως· εἰ δὲ αἴπερ θανεῖ ὁ πιῶν, ἐχά-  
τως τιμωρήτα. Praecipuae uero illorum rationes sunt, quod philtrum propinans, diuinis humanasque a Principe constitutas, quas nouit, uel nosse debet, leges uiulet, deinde quod ipeciatim philtrum, causa rei illiciae, illicitique amoris conciliandi, & pudicos animos corrumpendi propinetur, ac idem postea, ex uiolenti, uenenatis, atque intoxicatis pharmacis, uoluntatem & iudicium hominis perturbantibus, peruertentibus, furorem concitantibus, & uitae periculum affrentibus conficiatur; denique quod non eius solum, qui philtrum accepit, mortem inducat, sed αὐτοχεπίξ & pluribus homicidiis, ut ex BORELLO demonstravi, causam, sine qua non, praebeat, iste uero, qui causam mortis dedit, iuxta allegatam superius legem Corneliam, de homicidio semper teneatur. Dissentit uero ab his cum haud exigua Jure Consultorum parte CARPZOVIVS lib. & loc. cir. afferens: quod perquam durum sit & crudele, dolo uacantem ullo in criminе, uita priuari, secundum TIRAQVELL. de poen. tempor. cauf.*

caus. 14. numer. 5. tum, quod in delictis propositum & dicta poena  
 intentio delinquentis maximopere sit spectanda, phil-  
 tra uero, non nocendi animo, sed reciprocum concili-  
 liandi amorem exhibeantur. Nec ipse dubitauerim  
 ordinariae mitigationem poenae locum habere, si  
 praecipuae ad sint circumstantiae, pro quarum uarieta-  
 te, iudicisque fauore & genio, modo mitior, modo  
 grauior fertur sententia. Sic etenim primum, si is, qui  
 philtrum exhibuit adhuc sit minorenus, commiserati-  
 one aetatis, iuxta lib. 37. §. 1. ff. de minor. Ord. Crim.  
 Car. art. 179. Jul. Clar. in Praef. §. ult. qu. 60. n. 3. deinde,  
 si idem ob uehementiam amoris, summo melancho-  
 liae laboret gradu atque amentia, secundum ZACHIAM  
*Quæst. Med. Legal. Tom. I. lib. 2. tit. 1. quæst. 10. de Amant.*  
*p. 134. & seqq. PETR. HEIG. P. 2. qu. 38. n. 60. CLAUD.*  
*BERTAZZ. in addit. ad BARTHOL. BERTAZZ. consil.*  
*228. n. 5. SFORT. Odd. consil. 93. n. 25. CARPOV. Pr.*  
*Crim. Part. 3. pu. 145. n. 53. p. 325.* Tum, si tutius &  
 mi-  
 tius fuit exhibitum philtrum, nec idem ipse conficiens  
 aliorum propinavit persuasione. Postea, si philtrum  
 præbens, illico poenitentia ductus, quid factum sit,  
 indicet, ut cito antidotus exhiberi possit. uid. PETR.  
 THEODOR. in Colleg. Crim. Disp. 10. th. 4. lit. Q. ANDR.  
 TIRAQVELL. de poen. temper. caus. 30. n. 1. FOLLER  
 in Praef. Crim. uerb. & si confitebuntur Part. 1. n. 82. AEGID.  
 BOSS. in tit. de coniug. n. 61. Denique, si quis uehemen-  
 ti, eaque naturali affligitur salacitate, ex luxuriantibus  
 numero arteriis spermaticis & testiculis oborta, nullis-  
 que, nisi illata corpori iniuria & noxa remedii curanda  
 iuxta thes. 10. Postremo, si coniux coniugi mero du-  
 ctus amore, ad intendendam reciprocam amicitiam,

G 2

phil-

Circum-  
 stantiarum  
 praesertim  
 habenda  
 ratio.

philtrum propinet, ut de Lucila superius commemo-  
ratum. conf. CARPZOVIVS Pr. Crim. Part. I. qu. 21. n. 22.  
p. 89. Haec perpendens Carolus IV. Imperator, deli-  
ctum, quod erga eundem propria eius coniux amoris  
compulsa feroore, philtrum perquam noxiun propin-  
nando, commiserat, ignouit. His pariter commoti-  
rationibus Scabini Lipsienses, foeminam, quae dele-  
terium marito suo philtrum propinauerat, & iuramen-  
to, se non alio idem fecisse animo, quam ad incitan-  
dum coniugalem amorem, obtinuerat, ab ulteriori,  
praeter carcerem, in quo iam per septimanias quinque  
detenta fuerat, poena absoluunt. uid. CARPZOVIVS  
lib. &c loc. cit. In quo certe secuti uidentur Areopagi-  
tas, qui sententia sua mulierem de Amatorio sive  
desiderii poculo, ut FLACCUS loquitur, quo maritus  
extinctus erat, accusatam, ab omni liberarunt poena;  
dōtī, ut ratiocinatur ARISTOTELES magn. Moral. I. I.  
c. 17. ἐκ τονητας, ἐδωκε μὲν γαστρὶ Φίλιας, διμαρτε  
δὲ τέττας.

## XVII.

Corneliae  
Limitatio  
Legis.

**A**b aequitate utique, quae in iudicando tantopere  
depraedicatur, hic mihi alienus uidetur dictae Legi  
Corneliae rigor, ad eos, qui philtra propinant, mi-  
nime semper extendendus, dum ipsa lex iubeat ad de-  
linquentis mentem respicere; & dehinc illi, qui uene-  
na exhibent, non tam ob uim uenenorum deleteriam  
puniuntur, sed maximopere ob animum, quem habue-  
runt, occidendi. Constat praeterea, & plurium Me-  
dicorum ratiociniis atque experimentis satis superque  
eui-

euictum est, nulla dari uenena, quae absolute & per se semper inferant mortem. Deinceps Venena duplicitis statuuntur generis, improprie & proprie sic dicta; posteriora perniciosiora, priora mitiora sunt, atque ad haec quoque referuntur philtra. conf. TEICHMEYERVS Inß. Med. Legal. cap. 20. qu. 1. p. 161. 162. Accedit his, quod quidam afferant, reperiiri Philtra, quae nullam inferant noxam, sed amorem inducant castum & sincerum, uid. CAROL. MVSITANVS Trut. Med. l. 1. c. 14. p. m. 82. Talia hinc philtra ceu maxime tuta, licita, & proficia commendantur, ut a BEGVINO l. c. aqua e sanguine humano destillata, a FRID. HOFFMANNO dicit. Diff. Saliua, ab HELMONTIO linteum primo menstruo sanguine tinctum, uinoque inditum, & a CLAVDERO plura alia diff. de philtris. Vbi uero Medici contrarias & dubias fouent cogitationes atque ambigue loquuntur, extraordinaria, eaque mitior dictatur poena BOSS. tit. de delict. p. 2. n. 78. & p. 228. Haec attenta secum cura perpendisse uidetur FR. RIPA, qui tr. Peß. C. de remed. ad cur. peß. fol. 33. n. 70. per leg. 3. §. 1. ad leg. Cornel. de Sicar. hactenus dicta sequentibus usus confirmat: *Qui poculum amatiorium libidinis causa dedit, ex quo mulier, quae illud babit, decessit, relegetur, non igitur poena legis Corneliae ferietur.* Et hoc eo magis, cum unanimi Iure Consulti consensu passim in suis libris moneant: interpretatione molliendas potius esse poenas, quam exasperandas; quod & suo iam sensit tempore, suoque confirmauit assensu Orator ille antiquus, ANTIPHON, inquiens: ἡ δέοι τι ἀμαρτην, τὸ ἀδίκως ἀπολύσαι ὅσιότερον, ἢ τὸ ἀδίκως ἀπολέσαι, τὸ μὲν γάρ ἀμαρτημά ἐσι, τὸ δὲ ἀδίκως ἀποντέναι, αὐτέ-

*βημα.* Quod reliquum est, ipse usus in hodierno iure Consultorum foro huius sententiae acquitatem & ueritatem confirmat. Ita, ut exemplum in promptu positum rei robur addat, Scabini Lipsienses, tantummodo relegationem ancillae, ob exhibitum philtrum, ex crinibus atque unguibus pani inclusis constans, ex quo idem in morbum incidit, decreuerunt, conf. CARPOZIVS lib. & loc. cit.

## XVIII.

Corneliae  
Rigor Le-  
gis quando-  
hic, inue-  
nit lo-  
cum.

**M**inime autem haec cum afferuntur in finem, minime nostra est opinio, quod omnes generatim, qui philtra propinrant, poenae, quam Lex Cornelia decernit, rigore immunes esse debeat. Decet enim & hic haud raro laudabilem C A T O N I S severitatem imitari, qui Magistratum sedulo exhortans, ut duris delinquentes legesque violantes poenis coercent, dicebat, hoc non facientem lapidibus interimendum esse, innuens: illos de Republica pessime mereri, qui improba malaque facinora non seueru puniendo ad scelerum licentiam inuitent improbos. Est idem pariter consilium L Y S I A E oration in A L C I B I A D E M acie de-sertorem, monentis: μήτε ἔλεου, μήτε συγγνώμην, μήτε χάριν παθεύειν, χρή περὶ πλέον τοίσαδε τὸν νόμων κεμένων. Longe alia igitur uia, quam thesi antecedente laudauimus, incedendum, quando circumstantiarum haud bonae notae multitudine ipsum delictum exasperant. Hac ratione, si annorum adsit maturitas, sanoque praeditus homo intellectu, ex mera malitia & libidine, philtrum, idque valde periculosum &

& uenenatum, uel penitus cum imploratione cacodae-monis, & magicis artibus coniunctum, de quo thesi decima tertia dictum, confecit & propinuit, atque animaduertens deinde, alterum lethali inde laborare morbo, rem gestam enunciando misere decumbenti non succurrit, ut hoc modo ob ignoratam morbi originem, genuina atque appropriata medicina afferri non possit, atque aegrotus perire debeat, rigor poenae erit intendendus. Ita fustigationem cum perpetua relegatione fuisse alicui foeminae dictatam, quae magicis artibus ad conciliandum alicuius amorem uisa fuerat, *DAN. MOLLER ad Conf. Ele&t. Aug. 2. n. 6. P. 4.* referit. Pariter non est lenitati locus, sed seueritatem res ipsa flagitat, quando caelebs, alterius coniugi, ob adulterinum, quem affectat, congressum ; ac hoc eo magis, quando plane maritus propria gaudens uxore, alterius uxori, & vice versa, philtrum exhibit, dum duplex haec ratione meditatur adulterium. Seuerior & durior similiter dictanda sententia, si uilis abiecit & que homo sortis, Principis, uel alius in maiori dignitatis gradu collocati filiae, amatorium remedium praebet. Porro, quando quis non semel, sed saepius idem peregit facinus, & pluribus attulit noxam, uel penitus mortem. Ac quis omnes potest enumerare circumstantias, quae saepius occurunt. Imo, quis omnibus dubiis in ea opinionum diuersitate occurrentibus ualet satisfacere ; ut enim inter se discrepant studia atque ingenia, uel libere iudicantia, uel praeconcepsit occupata opinionibus, ita etiam haud raro in una eademque re, maxime inter se dissimiles

a iu-

a iudiciis feruntur sententiae, uti cuius iuris Consultorum libros atque acta Iudicialia euoluenti haud ignotum esse potest. Iudicis igitur, ut in aliis omnibus, sic etiam in his, de quibus iam sermo, erit officium, ut talem, quallem haud illaesae suffragium mentis, desiderat, poenam decernat, nec nimio rigore, nec nimia indulgentia delegetur, sed media incedens via seueritatem lenite temperet, ne sumum ius summa fiat iniuria, atque Aequitas, suum, quem efflagitat, assequatur

FINE M.



ULB Halle  
004 057 635




3

1078

f

Sb.





Q. D. B. V.  
DISSERTATIO MEDICO-IVRIDICA  
DE

1726

28

26

# PHILTRIS RITE EXAMINANDIS ET DIVIDICANDIS

Siebes =

PRA  
CHRISTIAN  
STEN

TORG  
PHILOSOPHIAE ET  
NEC NON FAC  
IN ACADEMIA

ASS  
DIE DECEMBRIS XVI

ERUDITORVM EXI  
IOANNES FRIDE

VITTE  
LIBERAL AR  
ET I. V. CA

VITTEMBERGAE LITER

